

Impetus di  
uini.

Apoc. 3.

Tome. 3.

Naturalis  
instinctus  
quid.Impetus di  
uini magis  
percipiatur  
a simplici-  
bus, quam  
a sapientiis.Impetus di  
uini gratui-  
ti.

tribuetur homini. propter quod, ut homo operatur per gratiam eam recipiendo, poterit illa gratia dici operans, & cooperans: & prout per eam operatur Deus, eam infundendo etiam operans, & cooperans dici poterit: sic ergo accipitur gratia operans, & cooperans, prout hoc referimus ad ipsa agentia. Sed si volumus hoc referre ad ipsa opera, dicemus, quod in iustificatione impij semper præcedunt quidam impetus, & diuini motus in ipso impio, loquendo de adultis impijs habentibus usum liberi arb. de quibus impiis, & mortibus potest exponi, quod dicitur Apocal. Ego stò ad hostium, & pulsò, si quis aperuerit, &c.

Illa autem pulsatio sunt diuini impetus, & diuini motus, quos facit Deus impio, ut conuertatur ad ipsum. Hi autem impetus, & hi motus possunt esse naturales, & gratuiti. Naturales quidem sunt, cum ordinant ad finem naturalem: prout autem sunt naturales, determinat de eis Philosophus in lib. de bona fortuna dicens, quod Deus mouet naturam totam, & facit impetus in tota natura, secundum quos impetus in tota natura habent esse naturales operationes, & sine quibus naturales operationes esse non possunt. Quod concordat cù verbis Augu. 9. super Gen. cum ait, quod natura agit interiori motu nobis occultissimo: cui tamen si Deus subtrahat operationem intimam, tanquam extincta, & nulla remanebit operatio naturæ. Hi autem impetus, prout respiquant naturam totam, possunt vocari operationes diuinæ intimæ, prout verò respiquent animalia, vocat eos Philosophus instinctus naturales. Agunt enim animalia ex quibusdam instinctibus naturalibus etiam sine præcedente doctrina, sed tales impetus, prout sunt in hominibus, vocat Philosophus in de bona fortuna bonas fortunas. Habet autem pro inconuenienti, quod isti impetus naturales sint in bestiis, & non sint in hominibus: cum homines sint perfectiores bestiis, quamvis bestiæ ratione carentes magis percipient istos impetus, & istos instinctus, quam homines. Et simplices magis hoc percipiunt, quam sapientes. Nam sicut ceci non dediti visibilibus, melius memorantur, sic simplices non dediti intelligibiliis, & quo ad hoc propinquiores bestiis, hos instinctus magis percipiunt. Nam cum proponuntur alicui duæ viæ: aliquando dictat cor, quod una illarum via rum sit melior alia. Et si queretur ab eo, quare nesciret aliam rationem assignare, nisi, quod sic dictat sibi cor. Habens ergo talern naturam, quod istos impetus magis percipiat, in suis agibilibus est magis fortunatus. Et ideo Philosophus ait, quod huiusmodi fortuna bona est sine ratione natura. Si ergo Philosophus habet pro inconuenienti, quod isti impetus naturales, secundum quos multoties consequimur finem naturalem, sint in bestiis, & non sint in hominibus: cum homines sint perfectiores bestiis, dicunt Theologi habere pro inconuenienti, quod impetus diuini sint in nobis naturales, & ut consequamur finem naturalem, & non sint in nobis, ut sunt gratuiti, & secundum gratiam, cum gratia sit perfectio

A naturæ. Sicut ergo dare in nobis impetus naturales, secundum quos ordinamur, ut post simus consequi finem naturalem, sic sunt in nobis impetus gratuiti ordinati ad gratiam, secundum quam sumus digni consequi finem supernaturalem. Ergo in iustificatione impij prius sunt impetus, & motus diuini, quos plenè sequendo conuertitur impius, & fit de impiis pious. Ad quam conuersionem infunditur sibi gratia, quæ est quoddam donum diuinum dans primum spirituale esse. Impetus ergo isti diuini sunt secundum quendam motum, & comparantur ad animam, vel ad perfectionem eius secundum quendam transiit, sed grā comparatur ad animam secundum esse, & est quedam forma, & quedam qualitas spiritualis dans animæ spirituale esse. Sic ergo loquendū est de istis impiis, si eos completere sequimur: sed si incompletè, non sufficiunt impetus interiores, sed requiruntur ibi motus exteriores, vel operationes exteriores, quia aliquando per illos impetus non fit homo contritus, sed attitus. Et ideo si humiliat se, & subiicit se clauibus Ecclesiæ, multoties de attrito fit contritus, & infunditur sibi gratia, per quam iustificatur.

Omnia ergo concurrent in iustificatione impij, diuini impetus, per quos fit aliquis motus in liberò arb. opus exteriorius, videlicet confessio, vel in votu siue in proposito, si plenè sequamur tales impetus, si sumus contriti, quia sine exteriori confessione culpa remittitur, & gratia infunditur. Ituxta illud Euangelij: Dum irent mundati sunt. Et

C Iuxta illud Psalmi: Dixi confitebor, &amp; tu remisiisti.

Loc. 17. Tamen si non plenè sequamur tales impetus, exterior confessione potest facere, &amp; facit ad infusionem gratiæ.

Loc. 18. Nam nunquam remittitur peccatum sine confessione, vel in proposito, vel in re.

Ante tamen, quam estendat se peccator Sacerdoti, ex solo proposito confitendi potest adipisci gratiam: Tamen si habet propositum confitendi, &amp; quando adest locus, &amp; tempus, non confitetur, vel tale propositum reputatur fictum, vel non faciendo, quod tenetur facere, merito sibi imputatur ad culpam, ut etiam si obtinuit gratiam, ex huiusmodi culpa perdet ipsam, nisi forte ex rationali causa vellet differre confessionem.

sed si proponeret non confiteri, perderet gratiam, quam impetravit ex proposito confitendi.

\* Habent ergo se ista quatuor per ordinem. Impetus diuinus: motus liberi arb. in Deum, a quo si t ille impetus: &amp; motus liberi arb. in peccatum, quod confitetur, vel in proposito, vel in re: &amp; infusio gratiæ.

\* Ille ergo impetus primò factus a Deo, dicetur gratia operans. Nec est inconveniens, quod vnu, &amp; idem sit gratia operans respectu posterioris, &amp; cooperans respectu prioris.

Rursus ille motus liberi arb. in Deum respectu motus liberi arb. in peccatum, quod detestatur, &amp; proponit confiteri, dicetur gratia operans. Ipsa autem detestatio, &amp; propositum confitendi poterit dici gratia cooperans: &amp; si ante exteriorē confessionem sit infusio gratiæ: ipsa gratia sic infusa, ut dat esse spirituale animæ, dicetur gratia operans: ut dat ei operari spiritualiter, &amp; mérioriè, dicetur gratia cooperans.

Iustificatio  
nis ordo.

Loc. 17.

Loc. 18.

Peccatum  
non remit-  
titur sine  
confessione,  
vel in pro-  
posito, vel in  
re.\* Iustifica-  
tionis ne-  
cessaria.\* Gra ope-  
rans, & coo-  
perans que  
nam sint.

Vtique

Veroque ergo modo referendo haec ad ipsa agentia, vel referendo ea ad ipsos effectus, vel ad ipsa opera, potest apparere, quid sit gratia operans, & quid cooperans. Et, ut hoc breuiter perstringamus, dicemus, quod impetus diuini, & motus liberi arbitrij, sunt dispositiui ad gratiam, & inducunt gratiam. Erunt ergo huiusmodi impetus gratia operans, & ipsa gratia inducta per tales impetus poterit dici cooperans.

Rursus: Ipsa gratia inducta, vt dat esse spirituale, poterit dici gratia operans tale esse: sed vt p̄t illud esse spirituale dat agere spiritualiter, poterit dici cooperans. Nec est inconveniens, quod idem respectu prioris sit cooperans, & respectu posterioris sit operans. Nec propter hoc excludimus charitatem, à qua immedietè egreditur opus meritiorum, quia sicut essentia animæ est primum sentiēs, tamē huiusmodi actum agit mediante potentia sensitiva: ita gratia, quæ perficit essentiā animæ, est primum meritorie agens: tamen huiusmodi actum agit, mediante charitate, quæ perficit potentiam appetitivam.

## D V B. I. L A T E R A L I S.

*An Velle incompletum p̄cedat gratiam: completum verò sequatur.  
Conclusio est affirmativa.*



L T E R I V S fortè dubitaret aliquis, cū motus liberi arbitrij non sit aliud, quam ipsum velle: quomodo huiusmodi velle se habeat ad gratiam.

Videtur enim secundum iam dicta, quod motus liberi arbitrij, siue velle eius, vt fertur in Deum, quem proponit sequi: &, vt fertur in peccatum, quod proponit confiteri, & de cætero vitare, præcedant infusionem gratiæ.

Sed contrarium videtur haberi in littera, vbi dicitur, quod gratia præuenit voluntatem bonam, vt velit: & sequitur, ne frustra velit: si ergo præuenit, vt velit, illud velle non præcedit gratiam, sed sequitur. Vnde & in littera dicitur, quod bona voluntas concomitantur gratiam, non gratia voluntate. Est n. bona voluntas quasi pedis equa gratiæ, vt sequatur eam, & non præferatur ei. Dicendum, quod licet gratuita possint distingui à naturalibus, tamen in multis ita se habet in gratuitis, sicut se

habet in naturalibus. Nam cum ex aere generatur ignis, calefit aer in tātum, quod ibi inducitur forma ignis. Si ergo queratur, vtrum calor præcedat introductionem formæ ignis, vel sequatur ipsam. Breuis erit responsio, quod calor incompletus præcedit formam ignis. In illo enim instanti, in quo tantum calefactus est aer, quod nō potest ibi stare forma aeris, cedit huiusmodi forma aeris cum calore incompleto, & in fieri, & introducitur ibi forma ignis cum calore cōplete, & in facto esse.

Auer. 1. Phy  
sic. com. 63. Sicut enim secundum Commen. Dimēsiones indeterminate præcedunt formam substantialem in materia, sed terminata sequuntur: sic calor indeterminatus ei incompletus præcedit formam ignis, terminatus, & completus sequitur. Sic & in

A proposito: ille impetus, & motus diuinus, & illud velle, quod causat in nobis Deus, vt moueamusur velle quod ad gratiam, vt est incompletum, & imperfectum modo featur in nobis, & beat ad gratiam. præcedit gratiam: prout vero est completum, & perfectum sequitur. Deus ergo, qui operatur in nobis, velle, & perficere pro bona voluntate, sic potest adaptari: quia operatur in nobis velle, & perficere vt moueamusur ad gratiam, sed operatur in nobis & bona voluntate. perficere, i. velle perfectum, quod sequitur gratia pro bona voluntate, id est, vt voluntas velit perficere bonum.

R 3 S P. A D A R G. Ad primum dicendum, quod licet à gratia immediate non egrediatur opus, quia gratia est in essentia, nō in potentia: sicut essentia est primum operans in his, quæ sunt naturæ: ita gratia est primum operans in his, quæ sunt gratiæ, sicut ab essentia animæ egreditur primo esse naturale, & mediante esse causat agere in ipsa potentia; sic à gratia primo egreditur spirituale esse, & mediante huiusmodi esse causat velle bonum in ipsa voluntate. Gratia ergo dicitur operans, vt dat nobis spirituale esse: quia per seipsum hoc facit, & dicitur cooperans, vt dat nobis velle spirituale, & meritorium: quia per voluntatē hoc facit, & cooperando voluntati illud facit. Non quod istud cooperari faciat tanquam inferius agēs, sed tanquam coadiuvans ad habendum optatum finem. nam & ipse Deus dicitur nos adiuvare, & nobis suum auxilium impertiri.

C Gratia operans, & cooperans quo modo sic dicuntur.

Ad secundum dicendum, quod aliquid facit gratia, quod non facit per liberum arbitrium, videlicet dare ei esse spirituale, & ex hoc dicitur operans: quia illud esse dat, & facit per seipsum. Non autem hoc facit effectuē, vt supra dicebatur, sed formaliter, sicut albedo dicitur facere rem albā: sed faciendo tale spirituale esse in anima, dat potentias, & cooperatur potentias, vt spiritualiter, & meritorie agant. Ideo ex eo, quod dat esse, dicitur esse operans: & ex eo, quod dat agere, mediante libero arbitrio: vel ex eo, quod facit ad actum meritorium alterius potentias, dicitur cooperans. Possunt etiā & alijs modis accipi gratia operans, & cooperans: sed de hoc in principali solutione plenius dicebatur.

D Ad tertium patet solutio per iam dicta: quia ex eo, quod dicitur cooperari potentias, non est propter hoc gratia inferior potētia, sed hoc facit adiuvando potētiam, vt actio meritoria esse possit, quia nulla actio est meritoria, nisi grata Deo, quod per gratiam fieri habet. Primo enim gratia cooperatur charitati, vt suum opus sit gratum Deo, & mediante charitate cooperatur alijs virtutibus, & alijs potentias. Et ex hoc charitas dicitur forma omnium aliarum virtutum: quia gratia mediante charitate facit opera etiam aliarum virtutum esse meritoria, & esse Deo grata. Gratia ergo est forma charitatis principaliter, & primo in opus, quod est meritorium, descendit, quod est charitatis. Et ideo licet præueniat charitatem, tamen sine charitate esse nō potest, quia ociosa esset: sic forma ignis præuenit suum calorem, quia sine calore esse non potest, quia tunc esset ociosa. Sic ergo gratia præuenit charitatem, quæ est suus spiritualis

Charitas  
quod dicatur forma omnium virtutum.

spiritualis calor, tamen sine tali calore esse non potest, quia mediante charitate dat primo spirituale agere, et per seipsum est spirituale esse, quod si dareret tale esse sine agere, diceretur quid ociosum. Si ergo in his, quae sunt naturae, non reperitur aliquid ociosum; multo magis non reperitur in his, quae sunt gratiae. Et quia ista duo sic conexa se habent: gratia, quae perficit essentiam, & charitas, quae perficit potentiam appetitivam sine voluntate; ideo aliquando, quod est unius, attribuitur alteri, & e conuerso: tamen gratia est res distincta a charitate: quia gratia dat spirituale esse, & mediante charitate dat spirituale agere, propter quod si idem opus erit ab utraque, non erit hoc eodem modo.

Gratia quo modo dicitur operas formaliter, & effectiue.

Ad quartum dicendum, quod gratia potest dici operans formaliter, & effectiue. Formaliter quidem, prout dat esse spirituale animae, quod facit per seipsum. Effectiue vero, prout dat ei agere, quod facit mediante potentia, vel virtute: operatio potest dici, quod egreditur a potentia, vel virtute, etiam effectiue. Nam esse est a forma formaliter, sed agere potest dici esse a forma effectiue: gratia ergo aliquid facit in anima utroque modo, licet quantum ad primum dicatur magis operans formaliter, quam ad secundum, cooperans effectiue.

### ARTIC. III.

*An Gratia in praeuenientem, & subsequentem diuidatur  
Conclusio est affirmativa.*

D.Th. 1.2.q.111.art.3. Et 2.sent.d.26.q.1.art.5., D.Bon.  
dist.27.art.1.q.1. Biel dist.26.q.1.



V A R T O queritur, prout gratia diuiditur per has differentias: quia est praeueniens, & subsequens. Nam, cum gratia non sit, nisi una, & eadem res in anima, non potest dici praeueniens, & subsequens: quia una, & idem non est prius, & posterius seipso.

Præterea ipsa gratia dicitur omnia alia præuenire, quia etiam ipsam charitatem præuenit: ergo solum erit præueniens, nullo modo subsequens.

Præterea color diuiditur per album, & nigrum, & per colores alios medios: quia nullus unus, & idem color sufficit ad omnia coloranda. sed videatur una, & eadem gratia ad omnia sufficere: quia cum faciat animam gratam Deo, & faciat eam dignam vita æterna, quae erit beatitudo nostra, non videtur gratia, nisi unum aliquid, siue illud sit præueniens, siue subsequens.

Præterea gratia est diuinæ dilectionis effectus: sed diuinæ dilectio semper est præueniens, cum sit omnium rerum causa. Est enim differentia inter amorem diuinum, & nostrum, sicut inter scientiam diuinam, & nostram. Nam amor diuinus causat res, amor noster causatur a rebus. Et quia causa

### Quæst. II.

A vt causa semper est præueniens: gratia semper diuidetur præueniens, cum immediatè fiat ex diuino amore, per quem fiunt omnia alia.

I N C O N T R A R I V M est Magister in litera, qui diuidit gratiam in præuenientem, & subsequentem.

Præterea, cum gratia fiat in nobis ex misericordia Dei, cum inueniatur misericordia præueniens, & subsequens, Iuxta illud Psalmi: Misericordia eius præuenit me. Et iuxta illud, quod etiam in Psal. dicitur: Misericordia eius subsequatur me. Ergo & gratia, quae est huiusmodi effectus præueniens, & subsequens dici potest.

Psal. 11.  
Psal. 12.

### R E S O L V T I O.

B Gratia in præuenientem, & subsequentem diuiditur. Idq; ob diuersos fideli Populi status, ob Ecclesie gradus, diuersasq; personas: & vt ad alia, & ad seipsum refertur.

R E S P O N D E O dicendum, quod gratiam præuenientem, & subsequentem adaptare possumus quinque modis. Primo ad diuersos status fideli Populi. Secundo ad diuersos gradus Ecclesie. Tertio ad diuersas personas existentes in Ecclesia. Quarto possumus hoc adaptare ad ipsam gratiam, vt comparatur ad alia. Quinto, vt comparatur ad seipsum.

C Propter primum sciendum, quod nunquam fuit clausa porta salutis: semper enim a principio mundo usque in finem fuit dare, & erit dare aliquos homines fideles, qui per fidem Mediatoris saluabuntur. Et ideo potest exponi illud Apo. vnu Deus, & vna fides, quia nunquam fuit salus sine fide Mediatoris, qui est verus Deus, & verus homo. Eadem enim fuit fides antiquorum, & nostra, vt supra tetigimus: quia illum, & eundem, quem ipsi credebant venturum, nos credimus venisse, licet non ita clare scirent, qualis deberet esse ille venturus, sicut nos scimus. Et quamvis semper essent aliqui fideles, & illi semper saluarentur per eandem fidem: tamen huiusmodi fideles non semper militabant sub eadem lege: quia primo militauerunt sub lege naturae, & tales secundum suum statum erant valde imperfecti, & modicam cognitionem de Deo habebant, unde dicebantur Gentiles, quasi tales geniti: & dicebantur ignorare Deum: quia non erat eis ita notus, sicut nobis.

D Postea Fideles militauerunt sub lege scripta, quae lex, licet esset data speciali Populo, tamē status illius legis erat perfectior statu legis naturae. Huiusmodi autem Populus fuit Populus Iudaicus, qui cognitionem de Deo habuerunt amplius, & Gentiles. & ideo dicitur: Notus in Iudea Deus. Non fecit taliter omni nationi &c.

Tertio militauerunt, & nunc militant sub lege Euangelica, quae specialiter dicitur lex gratiae: quia perfectior est gratia secundum hunc statu, quam secundum alios status. Dicimus autem secundum statum: quia licet status legis gratiae sit perfectior alijs: tamen in quolibet statu fuerunt aliqua personæ valde perfectæ, non solum in statu legis naturæ, sed

salutis por-

ta nunquam

fuit clausa.

CONTRADICTIONE.

\*Salus sine fide Mediatores nullas, sed d. u. q. 1.

ar. 2. art. Phi-

losophos iā potuisse sat

vari in lo-

ge Naturæ.

Hoc etiam confirmat d.

28. q. 1. art. 2.

Addit vero potuisse id fieri per re-

uelationem.

Vide locis

supra citati-

nostri scholium.

Gentiles cor-

sic dicitur.

Gen. 17.

Psal. 75.

# Artic.

III.

333

<sup>1. Cor. 10.</sup> <sup>Gratia tri-</sup>  
<sup>plex iuxta</sup>  
<sup>triplicem ita-</sup>  
<sup>tum.</sup> <sup>1. Cor. 12.</sup> <sup>Gratia di-</sup>  
<sup>fundit se-</sup>  
<sup>cundum di-</sup>  
<sup>versos gra-</sup>  
<sup>dus.</sup>

celi sed etiam legis naturæ, & scriptæ. Nam cū Abra-  
ham esset coniugatus, & Ioannes virgo, tāta erat  
perfectio ipsius Abrahæ, q̄ celibatus Ioannis di-  
citur non præferri coniugio eius. Et sicut est da-  
re, fideles militasse sub triplici lege; quia Lex natu-  
ræ fuit præueniens, Lex scripta fuit subsequens, &  
Lex gratiæ est vltimò sequens: quia nos sumus in  
quos fines seculorum deuenerunt. Sicut loqui-  
mur de triplici lege, ita possumus loqui de tripli-  
ci gratia: quia Gratia habita in lege naturæ, pote-  
rat dici gratia præueniens. Gratia habita in lege  
Euágelica, poteſt dici gratia subsequens: sed Gra-  
tia habita in lege scripta poterat dici vtrq; mo-  
do, videlicet præueniens respectu legis gratiæ, &  
subsequens respectu legis naturæ. Sicut ergo pla-  
cuit Deo sic ordinatè procedere dando leges, vt  
procederetur de imperfecto ad perfectum, sic pla-  
cuit sibi ordinatè dare gratiam secundum aliū, &  
alium statum, vt semper procederetur de imper-  
fecto ad perfectum: non, q̄ gratia, quæ dabatur  
in statu legis naturæ, loquendo de gratia gratum  
faciente, esset alia secundum speciem, quām in a-  
lijs statibus: sed quia non erat ita perfecta, sicut  
in alijs statibus, sed quia processus est de imper-  
fecto ad perfectum, vt imperfecta dicebatur præ-  
ueniens, & perfecta subsequens. Propter quod gra-  
tia legis naturæ erat præueniens legis gratiæ: sub-  
sequens legis scriptæ respectu legis naturæ erat  
subsequens, quia erat perfectior illa respectu legis  
gratiæ, erat præueniens, quia erat imperfectior ea.

Postquam adaptauimus gratiam præuenien-  
tem, & subsequente ad diuersos status mundi,  
sive ad diuersas leges, volumus hęc adaptare ad  
diuersos gradus, qui sunt in Ecclesia. Propter  
quod sciendū, q̄ Apostolus narrat 1. ad Corinth.  
Varios esse gradus in Dei ecclesia. In qua Deus  
primum posuit Apostolos. Secundo Prophetas.  
Tertio Doctores. Et sic de alijs gradibus ibidem  
positis. Et licet ista sint gratiæ gratiæ data: quia  
illi, qui tenent locum Apostolorum, possunt esse  
boni, & mali: & Prophetæ etiam, & Doctores:  
tamen de congruo, sicut aliqui tenent gradum in  
Ecclesia ad eam regendam, ita debent tenere gra-  
dum in gratia, & virtutibus. Si ergo Deus sic tu-  
ordinavit Ecclesiam, vt huiusmodi gradus essent  
in ipsa. Primus gradus respectu sequentis, pote-  
rit dici gratia præueniens, & secundus subsequens.  
& sic discurrendo per omnes gradus semper pre-  
cedens erit gratia præueniens, & sequens subsequens. Omnes enim huiusmodi gradus sunt quę-  
dam gratiæ à Deo concessæ Ecclesiæ, vt per hu-  
iusmodi gratias Ecclesia ordinatè regatur: quia,  
quæ à Deo sunt, ordinatè sunt, vt dicitur ad Ro-  
manos: Omnia enim hęc, data sunt, Ecclesiæ ad  
vtilitatem eius. Meritò ergo possunt quedam gra-  
tiæ reputari.

Rom. 7.

Gratia di-  
fundit se-  
cundum di-  
versas per-  
sonas Eccle-  
siae.

Tertio modo potest accipi gratia præueniens,  
& subsequens, quantum ad diuersas personas exi-  
stentes in Ecclesia, & specialiter in Ecclesia mili-  
tante, vbi sunt boni, & mali. Vult enim Deus, q̄  
eo modo, quo fieri potest à bonis, fiat gratia in ip-  
sis malis, vt hoc modo in bonis sit gratia præue-  
niens, vnde in malis fiat gratia subsequens: ideo

A mandauit Christus, Matth. 5. vt diligēremus ini-  
micos nostros, bene faceremus his, qui oderunt  
nos. oraremus pro persequentibus, & calumniā-  
tibus nos, quod totum factum est ad bonū oran-  
tium, & ad bonum illorū, pro quibus oratur. Vel  
ad bonum bonorum bene facientium, & ad bo-  
num malorū, quibus benè fit. Iuxta illud ad Ro-  
manos: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si si-  
tit, potum da illi. Hoc autem faciens carbones  
ignis congeres super caput eius. Nam benefaciē-  
do malis inducimus eos ad pénitentiam, vt con-  
uertantur, & hoc faciendo carbones ignis cōgre-  
gamus super caput eorum. i. super mentem eorū,  
vt exponit Glo. Inducimus enim eos ad ardorem  
charitatis hoc modo, & ad Dei gratiam. Isto er-  
go modo, prout boni inducunt malos ad gratiā,  
gratia in bonis dicetur præueniens: & si hoc mo-  
do conuertantur mali, & adipiscantur gratiam,  
illa gratia poterit dici subsequens.

C

Quarto modo poterit accipi gratia præueniens,  
& subsequens, prout gratia comparatur ad alia. i.  
ad suos effectus. Possumus autem assignare quin  
que effectus gratiæ. Vt sit vñus effectus, prout  
dat esse gratum. Secundus, prout dat benè ope-  
rari interius. Tertius, prout dat benè operati ex-  
teriorius. Quartus, prout facit ista feruenter fieri.  
Quintus, prout per gratiā perseveramus in istis.  
Semper ergo secundum omnes istos effectus po-  
terit dici præueniens, & subsequens. Nam, prout  
dat esse gratum, dicitur præueniens: prout ex hoc  
dat benè operari interius, dicitur subsequens: quia  
prius intelligitur dare sic esse, quām sic agere: &  
prout dat agere exteriorius, dicitur subsequens, &  
sic de alijs.

D

Quinto modo poterunt ista accipi, prout gra-  
tia cōparatur ad seipsum. Nam, sicut homo pri-  
mo generatur: Secundo nutritur: Tertio augmen-  
tatur: Quarto perficitur. Sic & gratia Primo in-  
funditur. Secundū per bona opera nutritur, & fer-  
uatur: quia ex gratia est, q̄ non peccemus mortali-  
& q̄ possimus nos saluare in ea. Tertiò aug-  
mentatur. Nam, vt dicit Aug. super illo verbo: Si  
adigitis me, mandata mea &c. ait, q̄ Apostoli ha-  
beant gratiam, & non habebant. Habebant au-  
tem, scđ non tantam, quantam postea accepturi  
erant. Et ibidem ait: De gratia, vel de Spiritu san-  
cto, q̄ non solum non habenti, verum etiā haben-  
ti, non in easum promittitur. Non habenti qui-  
dem, vt habeat. Habenti autē, vt amplius habeat.  
Gratia ergo infusa nō solum nutritur, sed etiam  
augetur, & aucta perficitur, perfecta dicit: Cupio  
dissolui, & esse cum Christo. Infusio ergo reſpe-  
ctu nutritionis est præueniens, & nutritio subse-  
quens. Nutritio etiam præueniens, & augmenta-  
tio subsequens, & sic de alijs. Et quia hęc omnia  
est vna, & eadem gratia per essentiam: ideo eadē  
gratia infusa præuenit seipsum, vt nutritam, & vt  
nutrita seipsum vt augmentatam: & vt augmenta-  
ta seipsum, vt perfectam: & vt perfecta in via  
seipsum, vt existentem cum Christo in Patria.  
In istis etiam corporalibus prius est generatio, q̄  
nutrimentum, nam per generationem res accipit  
esse: sed per nutritionem saluatur in illo esse: &  
prius

Rom. 12.

philipp. 1.

prius est habere esse, quām saluari in illo esse: postea secundum illud esse res augmentatur. & si idem cibus nutrit, & augmentat: tamen nutrit, vt quid: augmentat, vt quantum. sed cum prius adsit quid, quām quantum, prius est nutritio, quām augmentum.

*Gratis per-  
ficitur  
se & gra-  
tia.*

Vltimō autē res perficitur, quām perfectio quārum ad gratiam habet gradus: quia alia est perfectio gratiae in via, alia in patria. secundum autem omnia hæc potest dici gratia præueniens, & subsequens, vt est per habita manifestum.

R E S P. A D A R G. Ad primum dicendum, q̄ vna, & eadē res alio, & alio modo sumpta, potest dici præuenire seipsum, & etiam causare seipsum. Nam actio dicitur causa passionis; cum tamen vna, & eadem res sit actio, & passio.

Ad secundum dicendū non esse inconveniēs, q̄ eadem gratia præueniat omnia alia, & etiam alio, & alio modo sumpta præueniat seipsum: at tamen non semper gratia præueniens, & subsequens est eadem res: sed aliquando est eadem, aliquando alia, si omnes modi, quibus potest dici præueniens, & subsequens, diligenter inspiciantur.

Ad tertium dicendum, q̄ si vna, & eadem gratia sufficit, vt faciat animam Deo gratam; tamen prius facit eam minus gratam, communiter loquendo, & postea magis gratam. Et vt facit eam minus gratam, dicitur præueniens, vt magis gratam, subsequens.

Ad quartum dicendum, q̄ amor diuinus causans res, precedit omnia; quia semper causa, vt tamen gebatur, precedit suos effectus. Ipsi tamen effectus possunt habere ordinem ad se inuicem; vel vt sunt eadem res aliter, & aliter se habens, & sic est gratia, quia aliquando est alia, & alia res, quā dicitur præueniens, & subsequens: aliquando est eadem res aliter, & aliter se habens, si superius habita meditemur.

### Dubitatio I. Litteralis.

 VAESTIONES super litteram primō dubitatur super illo verbo: Voluntas est animi motus. Sed contra: Voluntas est quādam potentia animæ, sed potētia est quid manens in anima: ergo non est motus animæ. Dicendum, q̄ secundum Ansel. in lib. de lib. arb. Si eut visus potest dicere instrumentū animæ, quo videt: & potest dicere actum illius instrumenti, videlicet ipsam visionem. Sic voluntas potest dicere instrumentum animæ, quo vult: & potest dicere ipsam affectionem, siue actum voluntatis, per quem vult. Primo modo dicit ipsam potentiam, vel ipsam voluntatem. Secundo modo dicit ipsum motum potentiae, & ipsum actum voluntatis. Et hoc modo loquitur Magister, q̄ voluntas est animi motus, accipiendo voluntatem non pro ipsa potentia, sed pro affectione. Ad quod intelligendum; verba, quæ communiter loquimur, nos multum iuvant. Dicit enim aliquando quis de se ipso, voluntatem maiorem habeo nunc faciendi hoc, quām unquam habuerim. Constat autem,

Tomo I.

A q̄ voluntas, quā est potentia, non est aliquando maior, aliquando minor. Oportet ergo, q̄ voluntas stet ibi pro ipsa affectione, quā aliquando est maior, aliquando minor.

### Dubitatio II. Litteralis.

V L T E R I V S fortè dubitaret aliquis de eo, quod in littera dicitur, q̄ gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici. Cum ergo gratia non cadat sub merito, quia tunc gratia non esset gratia: non videtur ergo, q̄ mereatur augeri, nec q̄ aucta mereatur perfici. Dicendum, q̄ opera facta ante gratiam possunt esse induictua ad gratiam, quia Deus videns peccatorem facere, quod

B in se est: ipse, qui non vult morte peccatoris, supplet defectū nostrum, & dat nobis gratiā suam, quam mereri ex operibus nostris minimè poteramus. sed opera facta in gratia, cū sint meritoria, & accepta Deo, licet non possint mereri ipsam gratiā: quia tunc ante gratiā mereremur gratiā. Possunt tamen mereri augmentum, & perfectiōnem gratiae, quod totum attribuetur gratiae: tamen huiusmodi opera fiunt ex gratia. Non ergo ex hoc poterimus concludere, q̄ gratia non sit gratia: quia omnia referuntur ad gratiam, sed de hoc inferius quæretur.

### Dubitatio III. Litteralis.

V L T E R I V S fortè dubitaret aliquis de eo, quod in littera dicitur, q̄ cetera potest homo nolens: credere verò non est, nisi volens. Sed contra: Nam velle non potest quis, nisi volens: tamen aliud est velle, aliud credere; cum tamen velle sit in voluntate, credere autem sit in intellectu. quia est actus fidei, quæ est in intellectu. Dicendum, q̄ ly cetera potest referri ad actus exteriores, vt sit sensus: cetera, i. ceteros actus exteriores &c.

D Vel possumus dicere, quod ly cetera potest referri ad actus ipsius intellectus. Nam aliqui sunt actus intellectus, in quibus oportet discentem credere, vt ea, quā probantur demonstratiōne, quibus nō valens intellectus resistere, de necessitate credit, i. assentit eis, sed ea, quā non sunt certa certitudine speculationis, oportet, q̄ voluntariè adhæreamus eis. Et quia huiusmodi est ipsa fides, secundum quam Pilicatoribus creditur, non Dialeticis; non oportet tollere rationes, quia non sufficient ad probandam fidem: sed oportet per voluntatem ibi captiuare intellectum nostrum in obsequium Christi. ideo per quandam antonomasiā dictum est, quod cetera potest quis nolens, credere non potest, nisi volens, quod ideo est, quia sine velle nostro non potest esse in intellectu credere nostrum. Et si propter velle nostrū, quod requiritur ad credere nostrum, non possumus credere, nisi volentes: multò magis ipsū velle non poterimus velle nolentes: quia propter quod vnumquodque, & illud magis. Ratio ergo in contrarium magis concludebat oppositum, quām propositum,

*l. Patis.*

### Dubitatio

*Dubitatio IIII. Litteralis.*

V L T E R I V S fortè dubitaret aliquis de eo, quod in littera dicitur: Prænolat ergo intellectus, sequitur tardus, aut nullus affectus. Sed contra: Bonum apprehensum est motuum voluntatis. Si ergo prænolat intellectus, oportet, q̄ secundum illum sequatur aliquis affectus. Dicendum, q̄ hoc intelligendum est in his, quæ intellectus ostendit voluntati bona uno modo, & mala alio. quia si solum ostenderet sub ratione boni, non posset voluntas non velle: si solum sub ratione mali, non posset velle. sed si ostendit sub ratione boni, ut puta opera, quæ sunt consona rationi, & sub ratione mali, quia sunt difficultia; tunc potest præuale-re intellectus, quia sunt rationi consona: & sequi tardus, aut nullus affectus: quia sunt difficultia ad agendum. Vel possumus dicere, q̄ quæ hic dicuntur, referenda sunt ad actus præcedentes habitus virtutum, vbi propter indispositionem animæ potest præuolare quis secundum intellectū, & non sequi secundum affectū. quia in actibus se quentibus habitus virtutum affectus inclinat, & quodammodo prænolat intellectū: quia, ut dicitur in 2. Ethic. Signum generati habitus est lætitiam, vel tristitiam fieri in opere. Lætitiam quidem quantum ad opera conuenientia virtutibus: tristitiam, quantum ad contraria.

*Dubitatio V. Litteralis.*

V L T E R I V S fortè dubitaret aliquis de eo, quod in littera dicitur, q̄ tria sunt genera bonorum. Sed contra: Bonum, secundum Philosophum, dicitur æqualiter enti: Cum ergo multa sint alia entium genera, multa erunt & alia genera bonorum, & plura, quām quæ Magister hic assignet; Dicendum, quòd Magister hic non loquitur generaliter de omnibus bonis: sed solum de bonis, quæ ordinantur ad bene viuendū, cuiusmodi sunt bona exteriora, quæ sunt bona minima: Bona interiora, & potentie animæ, quæ sunt bona media. Et virtutes, dona, & gratiae, quæ sunt bona maxima.

*Dubitatio VI. Litteralis.*

V L T E R I V S fortè dubitaret aliquis de eo, quod in littera dicitur, q̄ virtutibus nemo malè vtitur: sed aliquis propter virtutes superbit, quod faciendo virtutibus malè vtitur. Dicendum, q̄ res habet duplē vsum: vnum per se, aliud per accidens. vnum ex actu proprio, alium ex voluntate vtentis: ut vsum sutoris secundum se, & secundum actum proprium est ad calciandum: tamen per accidens, & secundum vsum vtentis potest quis vti sutori ad hauriendam aquam. Virtutes ergo per se, & secundum actum proprium semper ordinantur ad bona opera: quia virtus est, quæ habentem perficit, & opus eius bonum reddit: sed per accidens, & secundum vsum vtentis potest quis superbire de eis, & vti eis ad superbiam: vel, ut communiter dicitur, virtutibus ue-

A mo malè vtitur formaliter: materialiter tamen, & tanquam obiectis potest quis malè vti eis, superbiendo de ipsis.

*Dubitatio VII. Litteralis.*

V L T E R I V S fortè dubitaret aliquis de eo, quod in littera dicitur, q̄ bonus vsum virtutis virtus est. Sed contra: Virtus est quidam habitus, sed bonus vsum virtutis non est habitus: ergo &c. Dicendum, q̄ sicut volūtas potest accipi pro potentia, & vsum potentiae: quia dicit aliquis hoc esse voluntatem suam, ad quod vult vti voluntate sua; sic virtus poterit accipi, vel pro habitu, vel pro eo, qui vult vti illo habitu.

D I S T. XXVII.

*De habitibus gratuitis.*

**H**I C V IDEND V M E S T , Q V I D S I T V I R T U S . ] Postquam Magister determinauit de gratia: in parte ista, ut dicebatur, determinat de virtute. Circa quod duo facit. quia primo determinat de ipsa virtute, quid sit. Secundo determinat de actu eius ibi: [ *Si igitur gratia.* ] Circa primū tria facit: quia primo dicit se velle determinare de virtute, & actu eius, siue opere, & incipit determinare de virtute dicens, quid sit virtus, & quod à solo Deo habet esse virtus. Secundo, quod dixerat, declarat de virtute iustitiae, quod à solo Deo est, ibi: [ *sicut de virtute iustitiae.* ] Tertio ostendit hoc idem de gratia fidei, siue de virtute, quæ est fides. Nam cum iustitia sit à solo Deo, & fides sit à solo Deo; cum iustitia, & fides sint virtutes: patet, q̄ virtutes sunt à solo Deo, loquendo de virtutibus, prout hic loquitur. Deinde cum dicit: [ *Si igitur gratia.* ] incipit determinare de actu virtutis. Circa quod tria facit; quia primo determinat de actu virtutis, ut cōparatur ad virtutem: dicens huiusmodi actum esse differentem à virtute: quia virtus non est à libero arbitrio, sed est à solo Deo. Sed actus virtutis opus meritorii semper est aliquo modo à libero arbitrio; ergo huiusmodi actus non est ipsa virtus. Secundo adducit opiniones quorundam hoc idem concedentium. Tertio adducit opinionem aliorum dicentium contrarium. Secunda ibi: [ *Propterea quibusdam.* ] Tertia ibi: [ *Alij verò dicunt.* ] Deinde cum dicit: [ *Propterea quibusdam.* ] adducit opinionem quorundam afferentium, quod Magister afferit: videlicet, q̄ virtus differt à suo actu: quia virtus est à solo Deo; actus virtutis, vel opus meritorium est aliquo modo à libero arbitrio. Circa

Circa quod duo facit: quia primo facit, quod dicitur est. Secundo epilogat circa determinata ibi: [Ex præmissis.] Circa primum quinque facit: quia primo ostendit, quod actus virtutis, vel opus meritorium est differens à virtute, per hoc, quod huiusmodi actus, vel opus est à libero arbitrio. Secundo dat causam, quare opus meritorium dicitur, et à gratia, dicens, quod est à gratia principali. Et ideo quamvis tale opus sit à libero arbitrio, & à gratia; tamē propter principalitatem potissimum attribuitur gratiae. Tertio confirmat, quod dixerat, dicens, quod ipsa gratia est donum Dei, & hominis meritum est donum Dic, immo hominis meritum est ipius gratiae: quia principaliter est ex gratia, & à gratia: meritum ergo hominis est ab homine, siue est à libero arbitrio, & à gratia, sed quia principaliter est à gratia, principius attribuitur gratiae, quamlibet libero arbitrio, vel quamlibet homini. Et adducit ad hoc probandum Augustinus. Quarto, cum dicatur, quod fides meretur imitacionem, & vitam æternam: & cum charitas dicatur similiter hic mereri, declarat quomodo sint haec intelligenda. Et ait, quod fides, & charitas merentur ista: quia actus fidei, & actus charitatis sunt huiusmodi meriti. Ipsa ergo fides, vel charitas, vel ipsa virtus non est ipsum meritum, sed actus charitatis, vel fidei, vel virtutis debent dici huiusmodi meritum. Quinto concludit ex omnibus prælibatis, quod per omnia huiusmodi munera, vel per omnes huiusmodi actus virtutum boni sumus, & iuste vivimus, & etiam ex gratia boni sumus, & bene vivimus: sed gratia non est ipsum meritum: quia non est ipsum opus meritorium: sed causat, & facit meritum, siue opus meritorium. Et subdit, quod haec, scilicet opera meritoria non sicut sine libero arbitrio. Et adducit ad hoc auctoritatem Augustini. Secunda ibi: [Cum ergo.] Tertia ibi: [Quæ ipsa etiam.] Quarta ibi: [Cum ergo dicitur.] Quinta ibi: [Ex actibus, vel ex munib; .] Notandum ergo sufficienter declaratum esse, quod opus meritorium est actus virtutis, & quod differt huiusmodi actus à virtute, quia virtutem causat in nobis Deus sine nobis: sed actum virtutis, siue opus meritorium, per quod bene, & iuste vivimus, non causat in nobis Deus sine nobis; sed causat ipsum mediante gratia, vel virtute, & mediante libero arbitrio; non quod ex equo sit opus meritorium à libero arbitrio, & à gratia, vel virtute: sed principalius est à gratia, vel virtute. Deinde cum dicit: [Ex præmissis] epilogat circa determinata, & duo facit. quia primo epilogat quantum ad hoc, quod patet quia inter se habeat gratia, & virtus, & quomodo haec se habeant ad ipsum meritum. Et patet etiam quid ut gratia, vtrum sit ipsa virtus. Secundo epilogat quantum ad hoc, quod si opus meritorium est ex virtute, & ex libero arbitrio: principalius est ex virtute, quam ex libero arbitrio. Et adaptat ista ad gratiam, & probat, quod dixerat. Secunda ibi: [Item nempt.] Tunc sequitur illa pars: [Alij verò dicunt.] vbi ponit opinionem falsam afferentium contrariorum eorum, quæ dicta sunt: voluntum, quod ipse actus, & ipse usus virtutis sit ipsa

A virtus. Circa quod quatuor facit: quia primo facit, quod dictum est. Secundo adducit rationes, & probationes istorum, per quas roborantur dicta sua. Tertio solvit rationes illas. Quarto, omnibus his præmissis, relinquit iudicio. Lectoris, ut teneat de his, quæ sibi placent. Secunda ibi: [Quod autem virtutes.] Tertia ibi: [Quibus alijs respondentes.] Quarta ibi: [Præmissis, alijsq; testimonijs.] Et in hoc terminetur sententia præsentis Lectionis, & Distinctionis.

## Q V A E S T. I.

De Virtute.



B

VIA Magister in hac Dist. agit de duobus principaliter: videlicet de ipsa virtute, & de actu virtutis, qui potest dici opus meritorium, vel ipsum meritum: ideo de duabus quæremus. Circa primum, id est, circa virtutem quæremus tria. Primo, quid sit virtus, vtrum sit habitus. Secundo, si est habitus, vtrum sit semper in suo actu. Tertio, quæ remus de huiusmodi habitu, qui est virtus: Vtrum sine gratia gratum faciente debeat dici virtus.

## A R T I C. I.

*An Virtus sit habitus,  
Conclusio est affirmativa.*

C

D.Th.1.2.q.55.art.1. Et 2.sent.dist.27.q.1.art.1. Et 3.sent. d.23.q.1.art.3. Et de Vir. in communi q.1.art.1. Ricar. dist.27.q.1. Guili.Altis.lib.3.de Virt. tract.2.c.2.Sco.3. d.28.Th.Arg.3.d.23.q.1.art.1.Dut.d.27.q.1.Et 3.d.23. q.3.Capr.3.d.23.q.1.& 2.Bacc.3.d.33.q.1.art.1.



D

D PRIMVM sic proceditur: videtur, quod Virtus non sit habitus. Nā secundum Philosophū, &c.<sup>2. Ethic. 6.</sup> Virtus est quid medium inter passiones. Est enim virtus medians, & moderans passiones. sed medium videtur esse in eodem genere cum extremis, vel cum his, quorum est medium: ergo virtus est in eodem genere cū ipsis passionibus: ergo est passio, non habitus.

Præterea Philos. in 1.celi, & mundi, vult, quod virtus sit ultimum de potentia: sed ultimum est terminus eius, cuius est ultimum: cum ergo terminus sit in eodem genere cum eo, cuius est terminus: quia pūctus est in eodem genere cum linea, & linea cum superficie: virtus ergo erit quædam potentia, vel erit in eodem genere cum potentia.

Præterea potentia naturales non sunt perfectiores, quam rationales: sed potentia naturales possunt in suis actus sine habitu medio, cum molle statim cedat, & durum statim resistat, quæ sunt naturalis potentia, vel impotentia: ergo multo fortius potentia rationales non indigent alijs habitibus,

Præterea

*Præterea p̄m̄ respondet merito, sed  
meritum est ipse actus. quia non premiabi-  
tur, nec coronabitur, nisi qui legitimè egerit, &  
qui legitimè certauerit. Et Philosophus vult in  
Eth. quod non fortes, sed agonizantes coronan-  
tur. Si ergo per ipsos actus meremur p̄m̄, cum  
per virtutes mereamur p̄m̄, virtutes erunt quidam actus non quidam habitus.*

*IN CONTRARIVM est, quod dicitur in  
2. Eth. quod virtus est habitus electivus: ergo &c.*

*Præterea licet secundum Philosophum, quia  
bona facimus boni sumus, tamen secundum  
Theologos, & secundum veritatem, quia boni  
sumus, bona facimus. Nam prius est arbor bona,  
& postea bonos fructus facit. Primo ergo sumus  
boni per virtutes, & postea facimus bona facien-  
do opera virtutum. Virtus ergo non est ipse  
actus, sed est habitus causans actum.*

## RESOLVATIO.

*Gratia, & virtus realiter idem non sunt: Virtus ta-  
men acquisita, vel infusa habitus est, quo  
delectabiliter disponimur, & habili-  
tamur ad agendum.*

*Gratia, &  
virtus idem  
est ad Magis-  
trum.*  
*RESPONDEO dicendum, quod Magister in  
hac Distinctione omnino video determinare, q̄  
idem sit gratia, & virtus. Et si hanc opinionem  
vellemus sustinere: supponendo, quod supra di-  
ximus, quod gratia sit in essentia animæ: virtus es-  
set in ipsa essentia animæ, quo posito, nec esset  
habitus, nec actus, quia hæc respiciunt ipsam po-  
tentiam. Et si dicatur, quod gratia non est in essen-  
tia, sed in potentia: tunc Dei non erunt perfecta  
opera, & in genere gratuitorum opera diuina  
erunt pallium breue, quod utrumque operire nō  
potest. Nam si gratia est ipsa virtus, si ambo hæc  
ponuntur in ipsa essentia, tunc potentia remanebit  
imperfecta, sed si sint in ipsa potentia remanebit  
essentia imperfecta melius est: ergo gratiam  
ponere esse differentem à uirtute, & quod gratia  
perficit ipsam essentiam dans ei spirituale esse, &  
virtus perficit ipsam potentiam, dans ei spiritua-  
le agere. Sicut ergo in naturalibus actio est ab es-  
sentiæ, & a uirtute, & est ab essentiæ mediante vir-  
tute, sic actio meritoria est à gratia, & à virtute, &  
est à gratia, mediante virtute.*

*Est tamen diligenter attendendum, quod in na-  
turalibus pro eodem accipitur virtus, & poten-  
tia. Nam in igne calor est sua potentia actiua, &  
est una virtus actiua, sed in his, quæ sunt rationa-  
bilis, vbi potentia perficiuntur, p̄ habitus: distin-  
guimus inter potentiam, & uirtutem, quia poten-  
tiae sunt illæ, quæ oriuntur, cum anima, vel quæ  
oriuntur ab anima. Virtutes vero sunt illæ, quæ  
acquiruntur ab anima: loquendo de virtutibus  
diferentia, acquiruntur ab anima: loquendo de virtutibus  
acquisitis, vel quæ infunduntur animæ, loquendo  
de virtutibus infusis. Virtutes ergo acquisitæ dif-  
ferunt à gratia, subiecto, & opere: subiecto quidē,  
quia gratia est in essentia: virtutes vero in poten-*

*A tis, sed differunt tales virtutes etiam opere, quia  
virtutes acquisitæ sunt in anima opere humano, sed  
ipsa essentia secundum suam essentiam non  
fit in anima, nisi opere diuino, sed virtutes infu-  
se à gratia differunt subiecto, ut potest patere per  
habita, quia gratia est in essentia animæ: virtutes  
in potentia, tamen tam gratia, quā virtutes  
infusæ sunt in nobis opere diuino differt igitur  
gratia à uirtutibus, sive sunt infuse, sive acquisi-  
tæ. Magister tamen tam in distinctione præ-  
cedenti, quā in hac distinctione videtur sentire,  
quod idem sit gratia, & uirtus. Nam cum in  
distinctione præcedenti distinxisset gratiam in  
præuenientem, & subsequentem ait, quod hæc  
est fides, quæ cum dilectione operatur. Et in  
hac Distinctione dicit, quod gratia, quæ sanat,  
& liberat uoluntatem hominis, uirtus est una,  
uel plures. Et in eadem Dist. dicit, quod gratia  
operans, & cooperans uirtus non incongruè no-  
minatur. Videtur enim sūisse intentio Magistri, *Magistri o-*  
quod gratia esset in potentia animæ, & ex hoc di-  
ceretur uirtus, & quia semper cum gratia daba-  
tur Spiritus sanctus: datus cum gratia absq; alio  
habitum medio causat actum charitatis, ut potest  
patere ex primo Sententiarum, sed communis opinio  
est multum rationabilior, ut gratia non dica-  
tur proprie uirtus, nec propriæ habitus, quia nō  
est in potentia, sed in essentia: & quod est dare ha-  
bitum charitatis, quæ nō est in essentia, sed in po-  
tentia animæ, id est, in uoluntate, a qua elicitur  
actus charitatis. Illud ergo uerbum Apostoli: Cha-  
ritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiri-  
tum sanctum, qui datus est nobis: exponeret Ma-  
gister de actu charitatis. Sed nos possumus expo-  
nere hoc de ipso habitu, quia utrumque est in  
nobis, & habitus charitatis, & actus: & ab habi-  
tu charitatis egreditur actus.*

*C Si ergo uera esset opinio Magistri, ut uiden-  
tur sonare dicta eius, quod idem esset gratia, &  
uirtus, tunc cum queritur de uirtute: utrum  
sit habitus, vel quid sit; Respondendum esset,  
sicut responderetur de gratia: sed cum non tenea-  
mus in hac parte, quod gratia, & uirtus sint  
idem realiter, & tamen teneamus uirtutem, si-  
ue infusam, sive acquisitam, esse quandam ha-  
bitum, quod planè dicit Philosophus (Nam in  
predicamentis ait habitus esse scientias, & uirtutes). *Cap. 3. Qual.**

*D habitus electivus) Videndum est ergo, quanto  
mo do uirtus tam infusa, quā acquisita sit habitus.  
Propter quod sciendum, quod habitus ab habi-  
litando dicitur: uirtutes ergo acquisitæ sunt habi-  
tus, quia ex frequenti cytarizare habitatur ma-  
nus ad cytarizandum. Sic ex frequenti agere se-  
cundum aliquam uirtutem, vel secundum ali-  
quod nitum habitatur potentia secundum il-  
los actus, & generatur in ipsa potentia quidam  
habitus inclinans ad illos actus, ut ex frequenti  
agere temperata, simus temperati, & ex contrariis  
actibus simus intemperati. Temperantia ergo, &  
in temperantia, ut hic dicitur: loquimur: sunt  
quidam habitus generati ex actibus inclinan-*

*Aegid. Super iij Sent. Ff tes*

*Opinio cōs  
de gratia, &  
charitate.*

1. Eth. 3.

tes in similes actus. Potest ergo intemperatus facere, quæ faceret temperatus, sed non potest ea facere qua iter temperatus. quia temperato est delectabile sic agere: intemperato esset indelectabile. Et ideo dicit Philosophus, quod signum generati habitus est delectationem, vel tristitiam fieri

Habitus in fusorum, & acquisitiuum  
rum differētia.

Rom. 8.

in opere: delectationem quidem, cum agit opera suo habitui conformia. tristitiam vero, cum agit disformia. Et quod dictum est de virtutibus acquisitis suo modo, veritatem habet de virtutibus infusis differunt enim habitus gratuiti, & in fusi ab habitibus naturalibus, & acquisitis. secundum enim utrosque fiunt opera in nobis, sed secundum habitus acquisitos magis agimus, quam agamus. secundum habitus, vel secundum virtutes infusas magis agimus, quam agamus. Iuxta illud Apostoli ad Rom. Quicunque enim spiritu Dei aguntur: hi sunt filii Dei. sumus ergo per gratiam, & per charitatem, & per alias virtutes nobis infusas, quasi organum Spiritus sancti, & sicut organum magis agitur, quam agat, sic nos in talibus, magis agimus, quam agamus. & sicut organum ad hoc, quod debet, & faciliter agat, oportet esse aptum, & habilitatum ad illud opus, ad quod utimur ipso; sic nos ad hoc, quod debet, & faciliter agamus opera Spiritus sancti: oportet, quod nobis infundantur aliquæ virtutes, per quas sumus apti ad opera, ad quæ virtutem nobis Spiritus sanctus. Et ideo Sapientia scribitur de sapientia: Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, quod ideo veritatem habet, quia cuiuslibet rei naturali debit suam virtutem, per quam potest finem suum naturalem attingere: Lapis enim non vadit sursum suauiter, sed violenter, quia non est aptus, natus ire sursum, nec habet materiam leuis, per quam non impediatur suauiter ire sursum. quod dictum est de sapientia in operibus naturalibus, quia omnia talia facta sunt à Deo in Sapientia. Iuxta illud: Omnia in sapientia fecisti, quod per quandam appropriationem dictum est, quia omnia opera sunt à tota Trinitate; tamen per quandam appropriationem, vel per quandam propriam habitudinem possunt attribui opera huic personæ, vel illi, quia non confusè accipiendum est secundum August. Ab ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, sed hæc tria tribus personis attribui possunt.

Tomo. II.  
Rom. II.

Mat. XI.

His tamen præmissis, dicamus, quod sicut omnia naturalia disponuntur suauiter per filium, cui appropriatur sapientia; Sic omnia gratuita disponuntur suauiter per Spiritum sanctum, vel in Spiritu sancto, cui appropriatur benignitas, sicut ergo naturalia suauiter agunt, quia habent in se virtutes, per quas sunt apta, nata agere illa opera, sic & in gratuitis nos suauiter agimus, quia infunduntur in nobis virtutes, per quas suauiter mouemur a Spiritu sancto, & suauiter agimus opera Spiritus sancti. Ideo dixit Deus, iugum suum esse suave, & onus suum leue, quia adiuti ab ipso per virtutes nobis infusas, & moti diuino impulsu secundum illas

A virtutes, onus Christi leuiter ferimus, & iugum eius suauiter portamus. Siue ergo per virtutes acquisitas agamus, siue per infusas agamus, utræque erunt quedam habilitates, & quidam habitus nos delectabiliter disponentes ad agendum secundum eos.

R E S P. A D A R G. Ad primum dicendum, quod virtus semper est media inter abundantiam, & defectum. dicit ergo virtus quendam modum se habendi circa passiones, vel circa res. quia importat moderatum modum circa eas passiones: ergo sunt quidam motus animi, & ex huiusmodi moderatis motibus generatur moderatus habitus. huiusmodi ergo moderate passiones possunt reduci ad genus virtutis, sicut motus, per quem inducitur forma, habet esse in eodem genere, vel etiam in eadem specie cum ipsa forma. sed hoc est magis per reductionem, quam simpliciter, quia incompletum reducitur ad idem genus, cum suo completo. Ad formam autem arguendi, quod virtus est passio non habitus, ut patet per iam dicta: virtus magis habet rationem formæ, quam motus, & ideo magis est habitus quam passio.

Ad secundum dicendum, quod virtus est ultimum de potentia, sed non propter hoc est in eodem genere cum ipsa potentia. quia non est ultimum ipsius potentiae secundum se, sicut punctus est ultimum linea, & ideo per reductionem est in eodem genere cum linea; & linea est in eodem genere, cum superficie: non solum per reductionem, sed etiam per se. quia quantitas continua per se, & directè prædicatur de utraq; sed non prædicatur de punto, cum punctus non sit quantitas, nec sit in genere quantitatis, nisi sicut principium. Virtus tamen dicit ultimum de potentia non secundum se, sed per comparationem ad actum, quia hoc facit virtus, quia habilitando potentiam facit, quod possit in ultimum suum actum. quod enim est difficile potentiantere habitum virtutis: est postea ei facile, habilitata per virtutem.

Ad tertium dicendum, quod potentiae naturales non sunt in opposita: sed potentiae rationales, propter liberum arbitrium sunt in opposita. Ideo non est simile de naturalibus, & rationalibus, nec in hoc sunt potentiae naturales perfectiores: immo imperfectiores, cum non habeant dominium suorum actuum. Vel possumus dicere, quod finis potentiarum rationalium est à Deo altior, quam finis naturalium. quia perfectius est attingere illum finem, cum virtutibus, superadditis potentias, quam attingere finem naturalium sine aliis perfectionibus superadditis.

Ad quartum dicendum, quod præmium respondet gratiæ, virtuti: & actu: aliter tamen, & aliter, quia gratiæ respondet tamquam ei, quam dat spiritua esse. Virtuti vero, tanquam ei, que dat spiritualiter, & meritorie agere: sed actu respondet tanquam ei, qui est ipsum meritum. Cum ce-

go agere præsupponat esse, & cum agere merito-  
riè præsupponat gratiam, & virtutem. Licet actus  
sit ipsum meritum: tamen non potest esse actus  
meritorius, nisi procedat à gratia, & virtute. Non  
oportet ergo, quod gratia, & virtus sint ipsi actus  
ad hoc, quod per eas mereamur: sed sufficit, q  
sint causa ipsius actus meritorij,

## ARTIC. II.

*An virtus, & præsertim charitas  
in actu suo semper existat.  
Conclusio ob varios sensus est pro-  
blematica.*

D.Th.1.2.q.55.art.2.Ric.d.27.q.2.



1 COR. I. Secundum sic proceditur. Vi-  
detur, quod virtus, et specialiter, vt est cum gratia gratu fa-  
ciente, cuiusmodi est charita-  
tis: semper sit in actu suo. quia  
vt dicitur 1.ad Corinth. Gratia  
cius in me uacua non fuit: ergo in Paulo semper  
gratia erat in actu suo, & per consequens chari-  
tas: ergo &c.

Præterea Greg. in Homil. penul. vult, q. amor  
Dei nunquam sit oculos, sed amor Dei est ma-  
xima virtus: ergo est dare virtutem, quæ semper  
est in actu suo.

Præterea virtutes sunt data optima, & dona  
perfecta, & assimilantur lumini, quia talia sunt à  
Patre luminum. sed lumen semper est in actu  
suo: ergo virtutes semper sunt in actu suo.

Tom. 5. c. 21 Præterea Aug. de Ciui. Dei ait, quod atque  
quippe ipsa bene, recteque uiuendi, virtus à ueteribus  
diffinita est. Ergo bene uiuere est actus virtutis,  
sed homo bonus semper dicitur bene uiuere: ex-  
ego virtutes in homine, quād diu est bonus, sem-  
per sunt in actu suo.

IN CONTRARIUM est: quia actus uirtutis est  
actus potentie perfecte per virtutem, sed nulla  
potentia perfecta per virtutem semper est in actu  
suo: ergo &c.

Præterea sicut omne peccatum est uoluntariū, sic  
omne meritum est uoluntarium, cū ergo hæc  
non siant sine lib. arb. si aliqua uirtus, per quam  
meremur, esset semper in actu suo, liberum arbitriū  
semper esset in actu suo, quod videmus es-  
se falsum.

## RESOLV T I O.

*Charitas virtus in actu suo semper est, si ad se ipsam,  
& ad eius esse referatur, semper n. habentem per-  
ficit, si autem ad eius opus referatur, non item,  
nisi opus ipsum secundum Dei estimationem  
consideretur. Nam iustus, siue comedendo, siue  
dormiendo, meretur.*

A R E S P O N D E O dicendum, quod virtus  
est perfectio potentie, & est perfectio se ha-  
bens, vt forma, per quam perficitur poten-  
tia, & limitatur ad bene agendum: talis autem  
forma, qualis est virtus gratuita, potest compara-  
ri ad actum quadrupliciter.

Primo vt comparatur ad seipsum, quia ipsa se  
cundum se est quidam actus. Nā ut potest patere ex  
2. de anim. Forma actus, & endelechia id dicit. Tec. &c.

Secundo forma potest comparari ad actum  
non solum, vt comparatur ad seipsum, quæ  
est quædam actus, sed vt comparatur ad suum  
subiectum, quod perficit, & cui dat aliquid esse,  
sicut calor secundum se est quidam actus, & quæ  
dam forma, & igni tanquam suo proprio subie-  
cto dat esse calidum: sic & virtus secundum se est  
quidam actus, & quædam forma, & dat potentie,  
quam perficit, esse virtuosum.

Tertio modo potest virtus comparari ad a-  
ctum, ut comparatur ad suum opus, siue sit opus  
interius, siue exterius. Et ad hæc tria pos-  
sunt referri verba Philosophi in secundo Ethicorum,  
quod virtus habentem perficit, & opus  
suum bonum reddit. Ipsa ergo virtus secun-  
dum se, & vt refertur ad seipsum, est quidam  
actus, & debet dici actus primus. sed vt per-  
ficit habentem, & ut dat esse proprio subie-  
cto: potest dici actus secundus respectu for-  
matæ, à qua procedit, & quæ est causa illius esse.  
sed illud opus bonum, quod reddit, posset dici  
actus tertius.

Sed quia Philosophus non distinguit, nisi  
duplicem actum: primum & secundum, vt  
patet in 2. de anima. Et scire uocat actum pri-  
mum: considerare uocat actum secundum: vel  
esse potest dici actus primus: agere actus secundus.

Ideo omnia illa tria: Videlicet forma, esse, &  
agere: ut calor, esse calidum, & calefacere po-  
sumus reducere ad duos actus. quia calor primò  
dat esse calidum: postea calefacit. Ipsum ergo es-  
se calidum erit actus primus, & ipsum cale-  
facere erit actus secundus.

Rursus licet esse calidum sit actus primus re-  
spectu calefacere: tamen est actus secundus  
respectu formatæ. Quia sicut calefacere est ab  
esse calido, sic esse calidum est à forma, siue  
à calore. Sic & in proposito: ipsa virtus est  
quædam forma, & quidam actus secundum  
se, & huiusmodi forma perficit suum subiectum,  
& dat esse virtuosum, & a subiecto habente esse  
virtuosum procedit bonum opus. Esse ergo  
virtuosum est actus medius inter formam, &  
opus: Propter quod respectu formatæ, et actus se-  
cundus: respectu operis est actus primus.

Potest esse actus specialiter, vt est meritorius,  
accipi quarto modū diuinam reputationē.

Cum ergo queritur, utrum virtus sit sem-  
per in suo actu. Dici potest, quod si virtus co-  
operatur ad seipsum, vel ad suum esse: semper est  
in suo actu, quia semper habentem perficit, & sp-  
dat ei esse virtuosum. Nec potest deficere à tali  
actu, & a tali esse, nisi totaliter tolleretur. quia

Aegid. super ij. Sent. Ff 2 non

non posset desinere perficere suum subiectum, nisi ipsa desinaret esse, cum accidentis esse sit in esse.

Sed si virtus comparatur ad suum opus, non semper est in suo actu, quia non semper ab habitu egreditur actus, vel opus, & virtus, & quicunque habitus, ut est in nobis uiatoribus, & ut est in hominibus existentibus in hac vita, in qua per diuidium uitæ, secundum Philosophum, idem est in toto, quia tempore dormitionis non videntur differre felices a miseris, nisi forte circa finem somni, quando appropinquat vigilie, quia tunc phantasmata istorum incipiunt esse meliora phantasmaticibus aliorum. propter quod sic se habente statu huins vita, cogimur dicere, quod virtus non semper est in suo actu, vel in suo opere.

*Actus meritorius secundum diuinam reputacionem quid.*

*Iusto quomodo omnes actiones merito describantur.*

*Iob. 9.*

*Iustus semper meretur.*

Verum quia possumus loqui quarto modo de actu, ut comparatur ad virtutem, & ut est meritorius secundum diuinam reputationem, dicere possumus, quod virtus potest esse secundum aliquem modum semper in suo actu meritorio. Nam cum iustus comedit, & sumit alimenta, quasi mediata, ut possit laborare pro Ecclesia Dei, & pro salute sua, & aliorum: Deus reputabit sibi hoc ad meritum. Et cum intrat in lectu, & dormiat, ut postea possit surgere ad laudandum Deum, & ad dicendum horas, sic Deus ipsum comedere modo, quo diximus: reputatio iusto ad meritum, sic ipsum dormire modo, quo diximus, Deus reputabit homini iusto ad meritum, ut hoc modo secundum diuinam reputacionem uirtutes iistorum semper dicantur aliquo modo mereri apud Deum, etiam si occurrat nobis malæ cogitationes, si statim viriliter pugnemus contra eas, meremur sic pugnando, & si est ibi aliquod peccatum leue, plus est ibi de merito.

Vnde illud uerbum Iob: Dies mei velociores fuerunt cursori; possunt exponi de merito iusti in hac vita: ubi iustus non habet bonum, quod spectat, quia semper peregrinatur a Domino, sed dies eius, id est, iusti sunt naues poena portantes, quia odorem bonum faciunt coram Deo. Isti ergo dies hominis iusti, quantum ad meritum secundum diuinam reputationem, possunt dici uel locatores cursori, quia nullus est cursor, qui aliquando non quiescat. Sed iustus potest mereri semper, & comedendo, & quiescendo mereri potest, ut est per habita declaratum.

**R E S P. A D A R G.** Ad primum dicendum, quod gratia, & uirtus non semper sunt in suo actu, quod semper faciamus opera uirtuosa, sed possunt dici talia non esse vacua, quia quando occurrit locus, & opportunitas hoc requirit, semper facimus opera debita secundum gratiam, & uirtutes. Vel possumus dicere, quod ista sunt semper in actu suo quantum ad meritum secundum diuinam reputationem: Vel possumus & tertio respondere, quod ista semper sunt in actu suo, quantum ad actu primu, quia quamdiu manet gratia, semper est gratia, quae est quedam perfectio, & quidam actus: & quamdiu manet uirtus: sem-

A per est uirtus, & non solum gratia semper est in actu, qui est ipsa, sed etiam temper est in actu, qui est perficere subiectum, & facere ipsum esse gratum. Sic etiam & virtus semper est in actu isto, quia semper perficit habentem, & semper facit ipsum esse virtuosum, sed non semper est in actu quod semper fit in opere.

Ad secundum dicendum, quod amor Dei non est otiosus, quando hoc requirit tempus, & opportunitas, & iste est sanus modus loquendi Scripturæ sacræ. Sic enim ait Apostolus: *Tertius est mihi Deus: quoniam memoriam vestri facio semper sine intermissione in orationibus meis, tamen non semper orabat, nec semper orat in oratione, sed cum locus, & tempus hoc requirebat, orabat, & in orationibus suis faciebat memoriam de Romanis.* Vel potest istud secundum argumentum solui, sicut soluebatur & primum: quomodo virtus semper est in suo actu, & quomodo non.

Ad tertium dicendum, quod uirtutes possunt assimilari lumini, quia sicut lumen semper dat esse luminosum: ita uirtutes semper dant esse virtuosum. Veruntamen licet lumen semper dat esse luminosum; tamen cum oculi habeant uidere per lumen; non semper facit aliquos esse in actu, quia non semper est praesens oculus: immo aliquando est praesens, ubi non sunt oculi. Sic & virtus, quamvis semper datur esse virtuosum: non oportet, quod semper reddat bonum opus, nisi sit locus, & opportunitas.

Ad quartum dicendum, quod uiuere viuentibus est esse: possumus ergo concedere, quod uirtus facit nos semper bene uiuere, quia quando diu est in nobis, semper perficit nos, & semper facit nos bonos esse. sed si uellemus accipere bene uiuere non pro bonos esse, sed pro bene operari, non oportet, quod sic faciat nos semper bene uiuere, sed cum locus, & opportunitas hoc requirit.

### D V B. I. L A T E R A L I S.

*An charitas in suo semper actu existat, secundum Dei affimationem.*

*Conclusio est affirmativa.*

**D** **L** **E** **T** **R** **I** **V** **S** forte dubitaret aliquis: quomodo uirtus, & specialiter charitas potest esse semper in actu secundum diuinam reputationem. Dicendum, quod reputatio diuina, & quantum ad meritum, & quantum ad premium: non solum est condignum, sed etiam ultra condignum: in tantum, ut dicat Apostolus, quod non sunt condigne passiones huins temporis ad futuram gloriam, quæ ruelabitur nobis. Certum est enim, quod charitas semper est in suo actu, quem elicit, & potest esse semper in actu suo, quem imperat. Nam ex charitate imperante potest prouenire, quod quis

quis dormiat, ut postea surgens laudet Deum. & alia bona opera faciat. Ex charitate autem potest prouenire, quod quis comedat, & ceteri homini actus, ut sunt in potestate nostra, & etiam si non sunt a caritate elicente: possunt esse a caritate imperante. & quia congruum est talia, ut sunt a caritate imperante, a Deo premiari, que ultra congruum ponderat merita nostra & secundum merita propositum nobis dare praemia: potest dici, quod charitas semper meretur, & nunquam est ociosa, quia semper potest iustus esse in actibus, vel a charitate elicitis, vel a charitate imperatis, ut si iustus incipit dormire propter Dei amore, & ut possit seruire Deo: totus ille somnus dicitur a charitate imperatus. Sic etiam est de coquitione, & ambulatione, & de ceteris huiusmodi actibus dici poterit, quod sunt a caritate imperati. Nam secundum Apostolum ad Rom.

Rom. 8.  
Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: talibus enim, ut Glo. exponit, Deus omnia cooperatur in bonum, & omnia ordinat in eorum non soli bonum, sive sunt prospera, sive aduersa, sive quae cunque alia etiam peccata, quia ut Glo. ait: vbi iusti se deuant, & exorbitant iusti: hoc ipsum facit eis d. p. p. 2. q. 3. ad 3. sed Deus proficeret in bonum, quia redeunt humilioris, atque doctiores. Ergo secundum Glo. affirmat etiam peccata mortalia contra charitatem facta in loco, & cooperantur iustis in bonum, & humilioris, & D. P. Aug. doctiore, id est, cautiores ad charitatem redeunt. Hoc tamen & licet Glo. hic exponat de peccatis mortalibus non factis contra charitatem: possumus etiam nos hic exponere de peccatis venialibus, vel ex genere, vel ex circumstantia: peccata quidem venialia ex genere, cuiusmodi sunt uerba ociosa, vel similia ordinantur iustis in bonum, quia de his penitentes feruentiores sunt, ut hoc ipsum sit eis ad meritum: peccata etiam venialia ex circumstantia, cuiusmodi sunt prauius motus, quibus ratio non consentit, sed dum sunt paruuli, alludit eos ratio, vel charitas ad petram, id est, ad Christum: ordinantur tales motus, & tales cogitatus iustis ad bonum. quia & si est ibi aliquod demeritum: multo magis est ibi de ipso merito. Cum hortetur Iacobus nos gaudere, cum in tales tentationes uarias inciderimus, virtus ergo, & specie liter charitas semper est in actu, quia ipsa est quedam forma, & quidam actus: & ipsa sine seipso esse non potest, vel semper est in actu quantum ad esse, quia semper dat esse virtuosum, & charum, vel semper est in actu, vel potest esse in actu. Nam cum omnia suissimis cooperantur in bonum, & quandiu sumus in charitate: semper possumus esse in aliquo opere, vel a charitate elicito, vel imperato: ubi etiam venialiter peccando praeter charitatem facimus: ordinat Deus ad bonum nostrum: modo, quo diximus. Et quia omnia, quae ordinantur ad bonum nostrum secundum diuinam reputationem, sunt ad meritum nostrum: ideo diximus secundum diuinam reputationem charitatem posse semper esse in actu,

A vel elicito, vel imperato: vel ad bonum nostrum a Deo, & per charitatem ordinato, seu in posterum ordinando.

## DV B. II. LATERALIS.

*An esse, quod dat virtus, sit aliud a virtute: vel esse, quod dat forma, sit aliud a forma.*  
*Conclusio est affirmativa.*

Aegid. de esse, & essentia. q. 8. & Quol. 5. q. 14.

**V**ITERIVS fortè dubitaret aliquis: Vtrum esse, quod dat virtus, sit aliud a virtute: Vel esse, quod dat forma, sit aliud a forma. B Et uidetur, quod non. quia forma seipso perficit. Si enim seipso non perficeret, sed hoc ageret imprimendo suæ materiæ, vel suo subiecto altam perfectionem: pari ratione illa perfectionem: & sic esset abire in infinitum: sed quandocunque hoc contingit secundum regulam Philosophi, illud est in primis. Ergo forma seipso perficit. Illud, in quo est, & esse, quod dat forma suo susceptibili: non est aliud, quam ipsa forma.

IN CONTRARIUM est, quod possumus inter actum, qui est forma: & esse, quod dat forma

C Præterea nihil facit seipsum. Sed albedo facit subiectum album, & virtus suum subiectum virtuosum. Ergo esse, quod dat virtus, est differens a virtute.

DICENDVM, quod possumus dicere, quod esse, quod dat forma, est differens a forma: & esse, quod dat virtus, est differens a virtute. Nec intendimus loqui de esse, secundum quod dicimus omnes res creatas esse compositas ex esse, & essentia, vbi primo incipit infirmitas creature. Nam quia in omnibus rebus creatis essentia non est suum esse: ideo non est sua perfectio. propter quod oportet accidentia super addi essentiae, ut possit habere suas perfectiones.

Rursus: quia creatura non est suum esse, potest intelligi non esse, & per consequens potest de nihilo producta esse, & habere esse post non esse. Tale enim esse non respicit, nisi substantiam, sive sit simpliciter: cuiusmodi est intelligentia, que est substantia simplex immaterialis: sive sit composita, cuiusmodi est substantia materialis. Sed esse, de quo loquimur, respicit etiam ipsam formam accidentalem, ut puta quantitatem, vel qualitatem. Quia non sunt, nisi tria prædicamenta realia, uidelicet prædicamentum substantiae, & prædicamentum quantitatis, & qualitatis, quae sunt duo prædicamenta accidentalia. Virtus ergo est quedam qualitas, & quae dat quoddam esse suo susceptibili.

Quæritur de illo esse: Vtrum sit aliud ab ipsa virtute, sive sit virtus insueta, sive acquisita. Et quia quæritur de virtute, que est qualitas animæ,

Aegid. super ij. Sent. Ff 3 po-

Predicamenta realia idem supra non semel.

poterit queri de albedine, vel colore, quæ sunt qualitates corporis. Nam cum calor est esse calidum quæretur de illo esse: Vtrum sit aliud à calore. Ad quod dici potest, quod quodlibet subiectum habet aliquem modum essendi, & aliquem modum se habendi à forma, etiam accidentalē, quod est diuersum ab huiusmodi forma: licet sit per huiusmodi formam. Et quia nostrum intelligere est cum continuo, & tempore, potissimum hoc apparebit in ipso continuo, vel in ipsa quantitate, sine qua nostrum intelligere esse non potest. Nam non possumus intelligere sinephantasma: & quia phantasma habet esse hic, & nūc, oportet, quod intelligere nostrum ratione hic, sit cum continuo: ratione nunc sit cum tempore. In quantitate ergo, per quam sumitur modus noster intelligendi, apparere poterit quantitas, quæ est forma quædam accidentalis, & dat quoddam esse, vel quendam modum se habendi suo susceptibili, differens quantitatē: licet illud esse, vel ille modus se habendi sit formaliter per quantitatē. imaginabimur quidem, quod soli quantitati cōpetit extensio, vel habere partes extensas secundum se: omnibus autem aliis hoc competit per quantitatē: Materia ergo, vel corpus, vel substātia corporalis si habet partes extensas: hoc est p. quantitatē. quantitas ergo seipso formaliter extendit suam materiam, vel subiectum: & materia, vel subiectum quantitatis seipso materialiter extendit à quantitatē: & quamvis quantitas seipso essentialiter extendatur per materiaū, & materia essentialiter seipso extendatur per quantitatē: hoc tamen non obstante aliæ sunt partes quantitatis, aliæ materiae. Aliquem ergo modum se habendi, ut puta habere partes extensas, cōpetit materiae per quantitatē, qui modus se habendi est differens à quantitatē. quia partes materiae sunt differentes à partibus quantitatis: licet sint haec per illas formaliter, sive enim quantitas se habeat, ut forma, sive ut subiectū: semper faciet partes extensas, quia quantitati per se, & primo cōpetit extensio. Alter ergo materia extendit p. quantitatē, & aliter albedo. Nā albedo est multa, quia superficies multa est, quæ est subiectū albedinis. Habet ergo albedo partes extensas p. quantitatē subiectū, quia quantitas est subiectum albedinis: sed materia habebit partes per quantitatē formaliter, quia quantitas est per se, & forma materiae, cū quocunque modo hoc esse contingat. aliæ, erunt partes albedines, & aliæ quantitatis, ut potest cuiuslibet sensibiliter esse notum. Sic etiam aliæ sunt partes materiae, & aliæ quantitatis. Fecit n̄ Deus talē materiam, vel quacunque potentiam, ut coniuncta nunc illi actui, nunc isti, resultaret in ea potentialiter perfectio illius actus: ut sicut potentia est diuersa ab actu, sic ista perfectio potentialiter est diuersa à forma. Vel ab actu. Dicemus ergo, q̄ sicut Philosophus diffinit animam, dicēs: est actus corporis potentia uitam habentis, & postea subdit, q̄ illa potentia non est abiiciens actum, i. formam, quia est p. formam, sic dicemus de quantitate, q̄ est actus ma-

A teriae, potentia partes habentis. Tamen illa potentia est non abiiciens actum, i. formam, quia est quantitas, quia habet partes per huiusmodi formam: & tamen licet iste partes materialiter respectu quantitatis, quia possunt esse, & sunt per quantitatē formaliter. quilibet tamen aperte cognoscit, quod aliæ sunt partes materiae, & aliæ quantitatis: & sicut sunt partes hic, & ibi: ita alia est extensio hæc, & illa: & sicut subiectum extendit per quantitatē, sic afficitur per qualitatē: sicut aliquod esse extensum resultat in subiecto per quantitatē, quod est aliud à quantitatē: sic aliquod esse affectum resultat in subiecto, per qualitatē, quod est aliud à qualitatē, sive sit illa qualitas in anima, sive in corpore, & si est in corpore, sive sit extrinsecus, ut color, sive sit intrinsecus, ut calor, qui est in toto calido: licet albedo, ut color, sit in extremo albi, & colorati. Vt unquicunq. n. tam color, q̄ calor dat quoddam esse affectum suo subiecto, differens à seipso, sicut & quantitas dat esse extensum differens à seipso. Et quod dictum est de qualitatibus corporis, veritatem habet de qualitatibus animalium, sive illæ qualitates sint gratuitæ, sive naturales, sive sint in essentia animæ, ut potentia, sive sint in potentia, ut virtutes, quæ possunt dici naturales, quia secundum Philosophum in 2. Ethic. ad virtutes sumus apti per naturam: sed habemus eas perfectè per assuefactionem. Qd dictum est, & de qualitatibus naturalibus veritatem habet de gratuitis, & de insensibilibus, sive sint huiusmodi qualitates in essentia animæ, ut gratia gratum faciens, sive sint in potentia, ut virtutes, de omnibus enim huiusmodi qualitatibus dicere possumus, quod afficiunt suum subiectum, sicut quantitas extendit ipsum. Et sicut esse extensum subiectum est aliud ab extensione quantitatis: licet sit per quantitatē, sic esse affectum subiectum est aliud à qualitatē, licet sit per qualitatē. Et quia virtus est quædam qualitas: taliter potest accipi esse, quod dat gratia: & esse, quod dat virtus, quod est aliud a gratia, & aliud a virtute.

B 2. Eth. Nic. ca. i. initio. Et magn. in or. c. 3.

C R E S P. A D A R G. Ad argumentum autem in contrarium dici potest, quod sicut quantitas seipso extendit materiam, & materia seipso extendit per quantitatē: Hoc tamen non obstante: alia est extensio materiae, & alia quantitatis. quia aliæ sunt partes materiae, & aliæ quantitatis. Propter quod esse extensum, quod habet materia per quantitatē, est aliud à quantitatē. Sic & in proposito qualitas seipso afficit: subiectum seipso afficitur per qualitatē. Hoc tamen non obstante, affectio subiecti, & esse, quod habet per subiectum: est aliud à qualitatē. Propter quod Philosophus diffinit qualitatē, quia qualitas est, secundum quam quales, idest affecti dicimus. Sic etiam posset diffiniri, vel describi quantitas, quia quantitas est, secundum quam quanti, vel extensi dicimus.

D In Prædic. Qualitatē.

Evidēt se, & essentia hūe Doctor. q. 3. ad

Sic etiam ergo materia non sunt quantitas, sed sunt

sunt ipsa materia. & quia hoc est habere partes, (vt hic de partibus loquimur) haberet esse extensem; pater, quod est extensem, quod dat quantitas materiæ, est diuersum à quantitate, quod sufficit quantum ad questionem propositam, quia sicut esse, quod dat quantitas, est aliud à quantitate: ita esse, quod dat qualitas, est aliud à qualitate. Sed si huiusmodi esse, quod dat quantitas, vel qualitas, vel alia forma, comparetur ad ipsum subiectum, non videtur dicere aliam rem: sed solum dicit alium modum se habendi, partes enim, quas habet materia à quantitate, non sunt aliud, quam materia. Tamen uerè faciunt differentiam realem in materia, uel in subiecto, ut si posset materia esse cum illis partibus sine illis, sic & sic accepta esset reaiter differens à seipso. Materia enim sub contrarijs formis, & si non quantum ad essentiam, saltem quantum ad esse est realiter differens à se ipsa materia. Ad hoc forte uolebantire verba quorundam dicentium, quod res tripliciter differre possunt, re, ratione, & intentione. Clarè enim uidemus, quod differentia rerum, uel ex ipsis rebus, uel ex modo se habendi, vel ex modo considerandi. Nam realiter differt actus à potentia, & alia res est actus; & alia potentia: sed ipsa potentia, ut est subiecta actui, & priuationi, non est alia, & alia res, sed habet alium, & alium modum se habendi, ex quo alio, & alio modo se habendi resultat differentia realis in ipsa potentia. Propter quod Philosophus in 2. de Anima dat duos modos potentiarum: quia est potentia abiiciens actum, & potentia non abiiciens actum. Ut si consideretur materia, ut abiiciens quantitatis actum, considerabitur non extensa. ut coniuncta quantitati, considerabitur extensa, habens partes. & quia partes materiae, licet sint pars aliud, tamen non sunt aliud, quam materia. Materia ergo, ut est coniuncta quantitatibus, poterit dici potentia partes habens, sicut corpus, ut est coniunctum animæ potest dici potentia uitam habens, quia quicquid habetur per aliud formaliter, habetur per se materialiter, & potentia liter, ut si corpus habet uiuere per animam formaliter, per se competit sibi uiuere materialiter, & potentialiter. Sic & materia si per quantitatem habet partes actualiter, & formaliter, per se habebit partes materialiter, & potentialiter, differentia ergo, quam sola ratio facit, est differentia rationis. differentia inter actu & potentiam est differentia realis: sed differentia, quæ est in ipsa potentia, ut est coniuncta actui, & abiiciens actum, forte est illa differentia, quam aliqui uocant difference intentione. Nam cum eadem res sit coniuncta formæ, & priuationi non est alia, & alia res sic, & sic se habens: sed est alius, & alius modus se habendi, ex quo alio, & alio modo verè fit realis diuersitas in ipsa potentia. Non quod ex hoc potentia sit alia, & alia res: sed quia pot est esse coiuncta alteri, & alteri rei, id est alteri & alteri formæ, ut sit unitas ex parte potentiarum, & pluralitas ex parte actus. Ex qua pluralitate actuum verè fit diuersitas in potentia, & si non secundum essen-

vide pro  
hoc Quo.  
sq. 14.

Vide horū  
positionem  
de esse, & es-  
se. q. 3.

Te. 10.

\*Corpus a-  
nimæ con-  
dam quo-  
modo uia  
habet.

Anima a-  
ctus corpo-  
ris poten-  
tia uitam habe-  
tis 2. de ani-  
ma. t. c. 5.  
quomodo  
intelligat.

tiam, secundum esse. Fecit enim Deus potentiam esse talis naturæ, ut coniuncta actui, & actui habeat aliud, & aliud esse. Esse ergo, quod dat virtus, est aliud à uirtute. Sic esse, quod dat quantitas est aliud à quantitate. Nam tale esse magis se tenet cum ipso subiecto, quam cum ipsa forma, ut esse quod dat quantitas materiæ, magis se tenet cum ipsa materia, quam cum ipsa quantitate. Nam partes materiae licet sint per quantitatem, non sunt quantitas, sed sunt materia: quia quælibet pars materiae est materia. Esse ergo, quod habet materia per quantitatem, uel esse extensem, per quod materia habet partes, comparatum ad quantitatem, est alia res: comparatum ad materiam est alius realis modus se habere di materiæ. Nam ut superius tactum est, non sic coniungitur forma materiæ, uel actus potentia, vel perfectio perfectibili, sicut lapis lapid. quia est dare lapidem super lapidem, ut non ubique attingat aliud lapidem, nec resultat aliud in uno lapide ex aduentu alterius. sed nō est dare aliquid formæ, quod nō attingat materia: vel aliquid perfectionis, quod nō attingat perfectibile. Semp. n. ex perfectione, resultat aliquid in perfectibili, uel intensio, uel extensio, uel actiuatio. Initio quidem resultat ex qualitate, quæ potest intendi, & remitti. Extensio ex quantitate, quæ dilatatur, & extendit materiam. Actiuatio ex substantia, siue ex forma substantiali, cui specialiter attribuitur actiuare materiam. quia non aduenit rei in actæ, sed simpliciter in potentia, cum hyle dicatur maximè propriæ subiectum generationis. Illi ergo, qui differentiam medium inter differre realiter, & secundum rationem, dixerunt esse differre secundum intentionem, & quæ potuissent bene dicere differre secundum extensionem. quia extensio materiæ, & partes materiæ, licet sint per aliud, ut per quantitatē, tamen non sunt alia res, quam materia. Ex tali tamen extensione aliquem modum habet materia extensa differentem realiter a seipso non extensa. Actiuatio ergo per formam substantialiem, extensio per quantitatem, affectio, & intensio per qualitatem sunt illi modi essendi, quos acquirit potentia coniuncta actui, uel coniuncta formæ. qui modi essendi non sunt ipsa forma: sed sunt per formam: vt extensio, quam facit quantitas in materia, non est ipsa quantitas: sed est per quantitatem, & ex his clarè apparet potest, quomodo differt esse, quod dat forma suo susceptibili;

ab ipsa forma: siue illa forma sit qualitas, siue quantitas: siue substantia.

*An virtutes sine gratia virtutes dici possint.  
Conclusio est negativa.*

Ric. d. 17. q. 3. Greg. Atim. d. 26. q. 1. art. 1.



Math. 19.

D tertium sic proceditur: videtur quod habitus, qui sunt virtutes, possint esse virtutes sine gratia, ut dicitur Matth. Si vis autem ad vitam ingredi, serua mandata. Cum ergo interrogasset adolescens, quae essent illa mandata. Respondit Iesus de mandatis Decalogi: Non homicidium facies. Non adulterabis. Cum ergo mandata Decalogi videantur esse de iure naturali: & ea, quae sunt de iure naturali possimus obseruare sine gratia; possimus obseruare mandata sine gratia. sed sine virtutibus non possimus ingredi ad uitam: ergo possimus habere virtutes sine gratia.

Prov. 19.

Præterea dicitur Prover. Feneratur domino, qui miseretur pauperis: sed multi miserentur pauperis, non habentes gratiam. Cum ergo non possimus habere copiosam mercedem, & fenerari domino sine virtutibus, ergo possimus habere virtutes sine gratia.

Eth. 1.

Præterea in Ethic. distinguitur duplex virtus, intellectualis, & moralis: sed videmus, quod virtutes intellectuales, quas habent ingeniosi, & subtile, magis habent eas aliquando mali, quam boni. Ergo tales virtutes possunt haberi sine gratia.

2. de anima

37.

In CONTRARIVM est. Quia ut dictum est; ex gratia est ipsum esse spirituale: & quia vivere viuentibus est esse. non habens esse spirituale, non vivit spiritualiter. Virtutes ergo in non habente esse spirituale, & non viuente spiritualiter, sunt mortuae. sed virtus mortua non est virtus, ergo &c.

D.P. Aug.  
3. Enchir.

Præterea ipsæ virtutes Theologicæ non possunt esse sine Charitate, & sine gratia: quia ut dicitur in Enchir. Amor sine Spe, aut Spes sine Amore esse non potest. Cū ergo Spes sit virtus Theologica, si non potest esse sine amore diuino, & sine gratia: multo magis virtutes morales non poterunt esse sine gratia.

### RESOLVTO.

*Virtutes sine gratia licet propriè virtutes dici non queant: habent tamen aliquem virtutis modum, quatenus ad quandam finem intermedium, qui est refractio, ducere nos possunt.*

Aug. 19. c.  
Tomo 5.

RESPONDEO dicendum, quod Augusti, de Ciuit. Dei. planè vult, quod habitus, quidi-

A cuntur esse virtutes, nisi ordinetur ad Deum, & nisi sint cum gratia, non debet dici virtutes. Ad quam veritatem possumus adaptare verba Philosophi in pluribus definitionibus, quas dat de virtutibus. Nam in 1. Cœli, & Mundi, diffinit <sup>Victus ultimā de potentia.</sup> virtutem, quod virtus est ultimum, quod est in re de potentia, secundum verba veteris translationis. ergo illud dicitur virtus, quod collocat <sup>in suo ultimo:</sup> sed ultimum rei est ultimus finis: ergo solum illud erit virtus, quod collocat rem in suo ultimo fine, uel quod ordinat rem ad ultimum finem: sed ordinari ad ultimum finem non possumus sine gratia, ergo sine gratia non possunt esse virtutes.

Verum quia forte quis diceret, qd finis non solum dicit quid ultimum: sed etiam dicit optimū: propter quod in Physicis deridet Poeta dicens: Lib. 2. phys. t.c. 21.

Mors est finis omnium, contra quem ait Philosophus, quod finis non solum dicit quid ultimum, sed etiam quid optimum. Et quia mors secundū se non est quid optimum, ideo non potest habere rationem finis secundum se, sed ratione alterius, ut ratione eius, quod expectatur post mortem, posset habere rationem finis, & quia expectamus post mortem esse cum Christo, iuxta illum Apostoli: Cupio dissolui, & esse cum Christo. quia ergo posset calumniari ex prima definitione data de virtute, quod est quid ultimum, addamus aliam definitionem datam a Philosopho. quod virtus non solum est quid ultimum: sed etiam est quid optimum. Propter quod dñ in Phys. e. phys.

C quod virtutes sunt dispositiones perfecti ad opium. Ergo non sunt virtutes nisi nos perficiāt, & perficiendo nos disponant, ut consequamur optimum. i. ipsum Deum, quod sine gratia esse non potest: ergo non sunt virtutes nisi nos disponant ad habendum optimum. i. Deum. Habet ergo, qui sunt de genere bonorum, mentiuntur se esse virtutes sine gratia. Et licet Philosophi nihil tetigerint de gratia: fuerunt tamen Pedagogi nostri, qui iuvant nos, & instruunt nos in his quae sunt gratiae, licet hoc sit præter eorum intentionem. Possumus autem adducere tertiam definitionem de virtute datam in Ethic. quod virtus habentem perficit, & opus suum bonum reddit. Si ergo hoc est de ratione virtutis, qd reddat opus bonum, quia secundum Cōmen. in Met. 2. Eth. c. 3. Met. 11. 2. Met. Com. 5.

D Finis & bonum idem sunt, & secundum eundem ibidem: Nihil est bonum nisi propter causas finales. Dicemus quod nihil est bonum nisi propter ultimum finem. Nam sicut se habet in causis agentibus: sic se habet in causis finalibus. sicut ergo nulla est actio in secundis agentibus, nisi habeat ortum ab agente primo: ita nihil erit bonum in finibus intermediis, nisi ordinetur ad finem ultimum. Deus enim est agens primum, à quo omnia entia procedunt. Et est finis ultimus, in quæ omnia bona reducuntur. Virtus ergo non poterit reddere bonum opus, nisi ordinetur in Deum. & per consequens non poterit esse virtus: nisi ordinetur in ipsum. Et licet uerba Philosophi possint ad hanc ueritatem adaptari: verba tamen Augu-

<sup>lumos.</sup> Aug. 19. de Ciuit. Hanc veritatem clarius exprimitur. Ait enim præfato lib. quod virtutes sunt non nisi in eis, in quibus uera est pietas. Sed cum pietas sit diuinus cultus, qui sine gratia esse non potest, veræ virtutes sine gratia esse non poterunt. Idem etiam Augusteo lib. ait. q̄ proinde virtutes, quas sibi quis uidetur habere, per quas imperat corpori, & ultiis ad quodlibet adipiscendum, uel tenendum retulerit nisi ad Deū, & etiam ipse uirtus potius sunt, quam uirtutes, & quia non nisi per gratiam referimus ista ad Deū, sine gratia veræ virtutes esse nō possunt. Immo, ut patet per Augustinum, dicenda sunt uirtus potius, quam uirtutes.

Propter argumentatumen sciendum, q̄ licet propriè non sint virtutes sine gratia: quia non possunt sine ea nos perducere ad ultimum bonum, quod est omnis boni bonum, & sine quo nullum est bonum. possunt tamen habere aliquem modum virtutis, inquantum inducunt in aliquem finem intermedium. vt temperantia. Etiam in infidelibus, qui sine Fide Deo placere non possunt, dicit tamen eos præfata virtus ad hunc finem, qui est refranare cōcupiscentias carnis. Tamen nisi hic finis ultimus ordinetur ad ultimum finem, rationem veræ virtutis habere non potest.

R E S P. A D A R G. Ad primum dicendum, quod seruare omnia iuxta mandata Decalogi, dato, q̄ illa sint de iure naturali, non possumus in statu naturæ corruptæ sine gratia, etiam si dicatur, quod sint de iure naturali. ergo per sola naturalia possunt obseruari. Dici debet, quod & si hoc verum sit in statu naturæ integræ: in statu tamen naturæ corruptæ; ubi sensus hominis sunt proni ad malum ab adolescentia sua, non possumus omnia peccata uitare, nec omnia iuxta mandata implere, licet possimus uitare hoc, uel illud.

Ad secundum dicendum, quod generatur domino, qui miseretur pauperis. Quia dato, quod qui sic miseretur pauperis, sit malus, & sine gratia, & non possit ex hoc talis existens habere retributionem in vita æterna: tamen uidetur generari Deo. Quia bona temporalia in vita ista, ut plurimum multiplicat sibi Deus ultra illud, quod dat pauperi.

Ad tertium dicendum, quod virtutes intellec-tuales, ut scientiae, & artes, habent mali sine gratia: sed non sunt veræ virtutes nisi ordinetur ad Deum: immo bonum esset malis, quod non haberent subtilitatem ingenij, & non haberent artes, & scientias. Quia, ex quo mali sunt, & nolunt conuerti ad Deum, ordinant eas ad malum potius, quam ad bonum. Ideo dicit Philosophus,

<sup>1. Eth. c. 6. & Pol. c. 2.</sup> quod decies milles plura mala faciet homo malus, quam bestia. Nā quando aqua suffocat, non est opus bibere: quando ergo intellectus suffocat te: bonum esset tibi carere intellectu.

## Q V A E S T. II.

### D e meritoria virtutis actione.



O S T E A quæritur de secundo principali: uidelicet de actione meritoria, quomodo possimus mereri per gratiam. Circa quod quæruntur quatuor. Primo utrum quis possit primam gratiam mereri sibi. Secundo utrum possit eam mereri alteri. Tertio utrum possit sibi mereri augmentum gratiae. Quartò utrum possit per gratiam ex condigno mereri vitam æternam.

### A R T I C. I.

*An homo primam gratiam mereri possit.  
Conclusio est negativa.*

D. Th. 1. 2. q. 114. art. 5. Et 2. Sent. d. 27. art. 4. Et 3. contra Gent. 149. & 159 Ric. d. 27. art. 4. Biel d. 27. q. 4. Th. Arg. d. 27. q. 1. art. 4.

C D. primum sic proceditur. vñ q̄ homo possit mereri primam gratiam: quia dicitur ad Roma. Rom. 3. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem: sed homo potest habere fidem ante, quam habeat gratiam: si ergo per fidem iustificatur, per fidem potest mereri gratiam, & merebitur gratiam ante, quam habeat.

Præterea quis potest mereri aliquod donum benè utendo illo dono, vt si miles accipit equum à Rege: potest mereri illum equum benè utendo ipso, & maximè si utatur eo in obsequio Regis. Homo ergo habendo à Deo primam gratiam potest mereri eā benè utendo ipsa, maximè si benè utatur ea in obsequio Dei.

Præterea cum quis orat pro se de pertinentibus ad salutem, & potissimè si sit in gratia, secundum Sanctos semper exaudiatur. Sed aliquis existens in gratia potest orare, quod si contingat eū cadere à gratia, quod restitutur ad gratiam. si ergo talis oratio exaudiatur, non habens gratiam, & cadens à gratia merebitur gratiam.

Præterea si Deus dat alicui gratiam, uel dat digno, uel indigno: si dat digno: ergo primò meruit gratiam, quam acciperet: quia non potest reputari dignus nisi benè meritus. Si autem daret indigno: ergo Deus esset iniustus, uel insipiens, quod de Deo cogitare iniquum esset.

Præterea in naturalibus datur perfectiones secun-

secundum merita, & secundū dispositiones materiæ introducuntur formæ. ergo multò magis gratuita dabuntur secundum merita, ut secundum merita, & dispositiones recipientium dabuntur gratiæ, non dabitur ergo alicui gratia, nisi mereatur illam.

**Rom. 7.** IN CONTRARIUM est quod dicitur ad Romam. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et subdit; Gratia Dei per Iesum Christum. Si ergo sola gratia Dei nos iustificat, & liberat nos à morte, sine gratia non possumus mereri, liberari à morte. ergo non habentes gratiam non possumus mereri gratiam.

**I. Cor. 15.** Præterea, idem Apostolus ait: Non ego, sed gratia Dei mecum. Totum ergo meritum attribuendum est gratiæ, propter quod gratia nō potest sub merito cadere.

### R E S O L V T I O .

*Mereri sibi non potest gratiam, qui eam non habet. nisi meritum modo lato sumptum ad Dei liberalitatem referatur. Idque patet, si finis supernaturalis naturæ, gratiæ, sibiq; ipsi conseratur.*

**Eth. c. 2.** RESONDEO dicendum, quod meritum hominis propriè accipitur respectu finis, ut ex hoc dicitur homo mereri, quia per merita sua consequitur finem suum. Sicut ergo loquimur de fine, sic oportet loqui de merito. Philosophus autem in Ethic. finem assimilat signo, ut sicut sagittantes cognoscentes signum directius sagittant in ipsum: & licet in sagitta non sit cognitio: sufficit tamen, quod sit cognitio in sagittante, & in dirigente sagittam, ad hoc, quod sagitta directè tendat in signum. Potest ergo res tendere in finem, & in signum per cognitionem, quæ est in alio, & hoc modo tendunt naturalia. & ideo opus naturæ dicitur opus intelligentiæ, ut nult Cóm. in Metaphy. vbi ait, quod natura non agit nisi rememorata à superioribus causis, quæ sunt intelligentiæ: sed de his non est nobis curæ. Videendum est ergo de his, quæ tendunt in finem per cognitionem, quæ est in ipsis. Vel ergo erit hoc per cognitionem sensitivam, vel per intellectivam, si solum per sensitivam, secundum quod tendunt Bruta, cum sensus non apprehendat nisi particulare: Bruta non poterunt tendere nisi in bonum particulare: tale ergo bonum non poterit esse supra naturam: & ad consequendum tale bonum, non oportet ponere gratiam, sed cū intellectus tendat in universale, omnis habens intellectum, & rationem potest apprehendere universale bonum, & est aptus, natus tendere in universale bonum, quod, propriè loquendo, est solus Deus. Omnis ergo habens intellectum, & rationem, factus est ad consequendum hunc finem, qui est ipse Deus, qui est bonum supernaturale, & est bonum omnis boni. Ideo dicit Augustinus. Cōfes. Ad te nos fecisti domine, & inquietū est cor nostrum, donec requiescat in te. Bonum autem

**12. Meta. Com. 43.**

**Tomo 1.**

A supernaturale, quod est finis noster, non possumus consequi per naturam: quia tunc esset supernatuale. oportet ergo, quod consequamur ipsum per naturam acquisitum per gratiam. Quæremus ergo de illa gratia.

Bonum naturale per naturam non potest. Vtrum possimus eam consequi per naturam, & si possumus gratiam consequi per naturam, & per gratiam possumus consequi finem supernaturalem. Ergo finem supernaturalem possumus consequi per naturam: quod est contradictoria implicare. Nam quicquid consequimur per naturam est naturale. si finem supernaturalem possumus consequi per naturam, esset ille finis naturalis.

His visis: dicamus, quod finis supernaturalis presupponit gratiam. Gratia autem tanquam perfectibile proprium, & susceptuum presupponit naturam. Poterit ergo tripli via declarari ex ipso fine supernaturali, quod non habens

**B** gratiam nō potest mereri gratiam. Primo prout finis supernaturalis comparatur ad naturam. Secundo prout finis supernaturalis comparatur ad gratiam. Tertio prout comparatur ad seipsum. Posset & quarta via addi sumpta ex gratia non solum, prout comparatur ad finem supernaturalem: sed prout consideratur secundum seipsum.

Prima via sic patet: Si enim finis supernaturalis comparetur ad naturam, certum est, quod nō possumus ipsum consequi per naturam: quia tunc non esset supernaturalis: sed amota gratia, remanet sola natura: ergo prout finis supernaturalis comparatur ad naturam, patet quod non possumus ipsum consequi per naturam, cum sit supernaturalis.

**C** Secunda via ad hoc idem potest sumi, prout finis supernaturalis comparatur ad gratiam. Nā quia est finis supernaturalis, & solum adipisci mur ipsum per gratiā: consequens est, quod illa gratia sit ipsa res, a qua incipit meritū dicti finis. Vnde Augustinus ad Sixtū presbyterum, ut habetur in littera: Quid, inquit, est meritum hominis ante gratiam? cum omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat nisi gratia? si ergo finis noster supernaturalis comparetur ad gratiam, a qua incipit omne bonum meritum nostrum: si non habentes gratiam possemus mereri gratiā: tunc a gratia non inciperet omne bonum meritum nostrum.

**D** Tertia via ad hoc idem sumi potest, prout iste finis supernaturalis consideratur secundum seipsum. Nam iste finis supernaturalis est uita æterna, & uita æterna est cognitio Dei secundum appetitam visionem. Iuxta illud Ioan. Hæc est autē **10an.** vita æterna, ut cognoscat te solum verum Deū. Quod tunc fieri, quādo aperit videbimus Deum in patria. Si ergo hoc est supernaturale: quia videre Deum aperit, & per essentiam per naturam non potest compete alicui creature. Iuxta illud ad Tim. Regis autem sæculorum, immortali, inuisibili, soli Deo. Ista ergo tria, esse Regem sæculorum, esse immortalem, esse inuisibilem, soli Deo cōpetunt. Nulla autem creatura propriè est Rex sæculorum: quia non est in potestate alicuius creature, ut creatura est, disponere omnia sæcula. Nulla

Meritum  
omne incipi  
t à grati  
a.

**1. Tim. 1.**

Mutatio!  
perlibet  
et quodam  
mors.

Nulla etiam creatura secundum, q̄ huiusmodi est immortalis, cum omnis mutatio s̄m Aug. in 1. de Tri, nonnulla mors sit, & cum nulla creatura, secundum q̄ huiusmodi, sit omnino immutabilis. Tertio solus Deus est inuisibilis per naturam: quia solus est beatus per naturam. Cum n. beatitudo nostra sit videre Deum, vel non possumus ipsum videre absq; eo, q̄ simus beati, uel si sine gratia, & in solum naturalibus constituti possemus aperte videre Deū: possemus esse beati per naturam: quod est inconueniens. Ex ipso ergo fine nostro secundū se, qui est videre Deū, quod est super naturā cuiuslibet creature, qui solus est naturaliter inuisibilis ab omni creatura, & q̄ nulli creaturæ potest competere esse sic inuisibilis: arguere possumus, q̄ ex puris naturalibus, & non habentes gratiam, non possumus mereri gratiam: quia non habentes gratiam sumus indigni visione diuina.

Potest autem & quarta via ad hoc adduci sumpta ex ipsa gratia non solum, ut comparatur ad finem supernaturalem: sed etiam ut consideratur secundum se. Nam si non habentes gratiam possemus per opera nostra mereri gratiam: tunc gratia esset quid debitum, & secundum Apostolū: Gratia non esset gratia. ergo non possumus non habentes gratiam mereri gratiam: & ut diximus, quia ante gratiam nullum est meritum hominis; sed a gratia incipit esse huiusmodi meritum. Homo ergo non habens gratiam non potest mereri eā, nisi accipiat mereri largè ex benignitate, & liberalitate Dei, ut si homo faciat quod in se est, Deus tanquam benignus, & liberalis facit quod in se est, & dat sibi gratiam suam.

R E S P. A D A R G. Ad primum dicendum, quod fides, p̄ quā iustificamur, est opus Dei in nobis. Nō ergo negamus, quin Deus ante gratiam aliqua opera faciat in nobis, quibus si non præbeamus obiciem, infundit nobis gratiam. Fides ergo vt est opus Dei in nobis, potest inducere gratiam. Sed dices, q̄ in littera habetur, q̄ Fides meretur iustificationem nostram: sed iustificatio est per gratiam, ergo ipsa gratia cadit sub merito. Ad quod dici potest, q̄ ista tria ex parte Dei se habent per ordinem. Videlicet causare in nobis fidem, infundere gratiam, & nos iustificare. Primo ergo causat in nobis fidem: quia sine Fide impossibile est placere Deo. Causando ergo fidem, & alia quæ requiruntur ad gratiam, infundit nobis gratiam quod faciendo nos iustificat, & expellit culpam. Quantum ergo est ex parte Dei, prius est infusio gratiae, quam iustificatio, & expulsio culpæ. Vt si aliquis cum uno clano expelleret alium, quantum est ex parte agentis prius infigeretur clavis, quam expellere alius: licet forte ex parte suscipiens esset econuerso. Deus ergo quia nos iustificat, & expellit culpam infundendo gratiam, ipsa gratia infusa dicitur nos iustificare, & expelleat culpam. Fides ergo meretur iustificationem nostram, si ad fidem sequatur infusio gratiae: qua infusa meremur iustificari, & mundari a peccato, & culpa. Argumentum ergo, si bene inspicatur,

A concludit propositum nostrum, videlicet, quod gratia non cadit sub merito: sed a gratia infusa cū Fide potest incipere meritum. Propter quod erit hoc modo gratia initium omnis meriti.

Ad secundum dicendum, q̄ res temporalis ex labore proprio potest acquiri absque alia gratia. Sed quod homo mereatur gratiam: qui iam habet, cum non sit meritum nisi per gratiam, illa gratia meretur seipsum.

Ad tertium dicendum, q̄ existens in gratia nō potest mereri, nisi quatenus innitur illi gratia. si ergo contingat eum cadere à gratia, nō amplius mereri poterit per huiusmodi gratiam: quia iam perdidit radicem gratiae, cui innitebatur meritum sicut arbor radicibus euulsa non amplius reuiniscit.

Ad quartum dicendum, q̄ in omni actione itur de potentia ad actū, & de non ente ad ens. Oportet ergo, cui Deus dat gratiam, q̄ de non digno fiat dignus, & de non grato fiat gratus. Indignū ergo potest accipi, uel pro habitu opposito, uel pro negatione habitus propositi. Non ergo dat indigno. i. peccatori volenti in peccato manere, & habenti in se contrarium gratiae: sed quia de non digno facit dignum, & de non grato gratū, eo modo, quo dat non grato, potest dici dare nō digno. Et Deus ex hoc non est iniustus & iniustus: sed misericors, & pius. Vel possumus dicere, q̄ semper ante gratiae infusionē precedit diuina motio gratuita mouens animam ad gratiam. Ideo dicebatur supra, q̄ gratia operans poterat Dif. 26. q. 2.att.3.

C accipi pro ipsa diuina motione, uel pro ipso diuino impetu mouens animam ad gratiam. Cum ergo dicitur, q̄ dat digno, uel indigno; Dici potest, quod dat indigno secundum se: Sed dat digno secundum diuinum impetum mouētem animam ad gratiam.

Ad quintum dicendum, q̄ aliquo modo possumus saluare in gratia, quæ videmus in naturalibus. vt sicut secundum merita materiæ infunditur forma: ita secundum diuinos impetus mouentes animam ad gratiam infunditur gratia. quia non est uolentis uelle, nec currentis currere: sed totum miserentis est Dei. Secundum ergo, quod Deus miseretur nobis, & secundum q̄ impellit nos ad gratiam: sic infunditur nobis maior, & minor gratia. Vel possumus hanc similitudinem materiæ adaptare ad meliora, & peiora naturalia. Nam sicut secundum dispositionem materiæ infunditur forma: sic habens meliora naturalia, plus mouetur ad gratiam ex eodem diuino impetu, quam habens peiora, & magis disponit ad eam. Ideo possumus saluare similitudinem in anima ad recipiendam gratiam, quam videmus in materia ad recipiendam formam. Tamen quicquid dicamus de dispositione animæ, & de merito respectu gratiae, totum referendum est ad Deum nos mouentem ad gratiam:

quia si ex operibus nostris datur nobis gratia, non esset gratia: sed operibus debita.

## ARTIC. II.

*An habens gratiam possit eam  
mereri non habenti.*

*Conclusio est affirmativa.*

D.Th. 1.2.q.114.art.6. Et 1.Sent.d.27.q.art.6. Et 4.  
Sent.d.45.q.1.art.1. Et de Ver.q.27.art.7.



**E**C V N D O quæritur: Vtrum habens gratiam possit eam mereri non habenti. Et videtur, quod non. Quia, quod non potest quis sibi, videtur, quod non possit alteri. Sed sibi non habenti gratiam non potest quis mereri gratiam: ergo multò magis non potest eam mereri alteri non habenti.

Præterea illud, quo posito, vel remoto nihilominus idem accidit, non potest habere rationem causæ, vel meriti. Sed si quis habens gratiam orat pro non habente; aut ille, pro quo orat, converitur, aut non converitur. si converitur, dato, quod non præcessisset oratio, infunderetur ei gratia. sed si non converitur, quantumcumque pro eo oretur, non infundetur ei gratia. Oratio ergo habentis gratiam non videtur facere ad infusionem gratiæ in non habente: sed conuersio eius tantum.

Præterea meritum Christi est efficacius omni alio merito. Sed ex merito Christi multi non consequuntur gratiam: ergo multò fortius ex merito cuiuscunque alterius.

Præterea, quod homo mereatur aliquid orando, vna de cōditionibus, quæ ad hoc requiruntur, est, q̄ orat pro se. si ergo orat pro alio, non uideatur, q̄ mereatur, quod petit.

**Iacob. ut.** IN CONTRARIUM est Iacob. vltimo vbi dicitur *Orate pro inuicem, ut saluemini. sed cum non possimus saluari sine gratia, unus orando pro alio mereretur gratiam.*

## RESOLVTO.

*Habens gratiam potest eam alteri disposito mereri,  
vt patet ex gratia, quæ est ex charitate. Existens item in gratia potest sibi gratiam augmentare.*

RESPONDEO dicendum, q̄ habens gratiam potest mereri gratiam alicui. Nam cum gratia non infundatur nisi à Deo; mereri alteri gratiam hoc est impetrare à Deo, ut illi infundatur gratia. Triplici ergo via ostendere possumus, quod habens gratiam, potest alteri mereri eam. Prima via sumetur ex gratia. Secunda ex eo, propter quod data est gratia. Tertia

A ex charitate, quæ semper coniuncta est cum gratia.

Prima via sic patet. Nam cum unus homo est gratus alteri homini, non solum impetrat bonū pro se, sed etiam impetrat bonum pro alio. Cū ergo Deus sit liberalior, & benignior omni homine, si quis habens gratiam, & est gratus Deo, non solum potest impetrare bonum pro se, sed etiam pro alio, quod si non esset, nō hortaretur nos ad hoc Scriptura, vt unus oraret pro alio. Cū dicat: *Orate pro persequētibus, & calumniātibus uos. Aduertendum tamen, quod sicut in naturalibus oportet esse perfectum, quod potest sibi simile generare: sic & in gratuitis aliquam perfectionem gratie oportet esse in eo, qui aliū impetrat gratiam, siue ista perfectio sit secundum ipsam gratiam, siue secundum feruorem habentis gratiam. Posset enim quis sic modicā habere gratia, & sic indeuotè, & sine feruore pro alio orare, quod nihil reportaret ex oratione sua.*

Rursus: quia actus actiñorum sunt in patiente disposito: ille, pro quo quis orat, potest esse sic indispositus, & sic præbere obicem, q̄ oratio nō consequeretur effectum. Ex ipsa tamen gratia, quæ facit hominem gratum Deo; quia gratus alteri, secundum q̄ huiusmodi, potest impetrare nō solum pro se, sed etiam pro alio, potest sumi ratio, quod existens in gratia potest alii impetrare gratiam.

Secunda via ad hoc idem sumi potest ex eo, propter quod data est gratia. Quia, ut ait Apostolus ad Corint. *Vnicuique datur manifestatio* 1.Corr.12.

**C**spiritus. i.gratia, per quam manifestatur spiritus, vt exponit Glo. Ad utilitatem Ecclesiæ. Sive ergo hoc exponamus de gratiis gratis datis, ut prophetia, & genera linguarum. Talia enim dona, quæ sunt gratiæ gratis date, dat Deus hominibus ad utilitatem Ecclesiæ, vt per ea proficit quis sibi, & alijs. Sive exponamus hoc de ipsa gratia gratiæ faciente, talis etiam gratia datur homini ad utilitatem Ecclesiæ, nt per eam proficit sibi, & aliis, ut vñusquisque dicat cum Apostolo, ad Cor. *Gratia eius in me vacua non fuit: sed per eam proficit mihi, & alijs. & quia nihil nobis prodest nisi ordinet nos ad salutem, quod sine gratia esse nō potest; gratiæ datum nobis debemus ordinare ad utilitatem Ecclesiæ, & ad salutem nostram, & alio rum.* quod esse non posset, nisi habens gratiam posset alij impetrare gratiam.

Tertia via ad hoc idem sumi potest ex ipsa charitate, quæ semper est coniuncta cum gratia: Nā ipsius charitatis sunt duo præcepta. Vnum de dilectione Dei, ut diligamus Deum super omnia. Aliud ex dilectione proximi, ut diligamus proximum sicut nos ipsos. idest ad illud, ad quod diligimus nos ipsos, idest ad vitam æternam. Ideo omnibus modis, quibus possumus, nos, & proximos debemus ducere ad uitam æternam. Si ergo proximus noster non est bonus, debemus sibi persuadere, ut fiat bonus, orare pro eo, ut fiat bonus. Quod non esset nisi orando possemus sibi gratiam impetrare.

*Dispositio  
requiritur  
in eo, pro  
quo impetratur.*

*Charitat  
duo præ  
cepta.*

salutis no-  
stræ cauſe  
ſecundæ ſunt  
ſolita ope-  
ratiſ ſenten-  
d. 41. art. 2.  
q. 2. Et Quo-  
d. 1. q. 2.  
predeſti-  
natio videtur  
eſſe ex ope-  
ribus.

Vel poſſumus adducere quartam rationem fa-  
ctam à Dion. 3. de di. no. Quod orationes noſtræ,  
& bona opera noſtra ſunt quaſi quædam ſecun-  
dæ cauſe ſalutis noſtræ. Diuina autem prouiden-  
tia, que respicit omnia, vel diuina \* predeſtinatio,  
quaſe respicit rationalia, non excludunt ſecundas  
cauſas, immo magis includunt, vt iſte ſalvatur ſe-  
cundum diuinam prouidentiam, vel predeſtinatio-  
nem: quia præuidit Deus, quod debet ſequi  
diuinum impulſum, & eſſe in orationibus, & fa-  
cere multa bona. Vel iſte aliud ſalvatur, quia ali-  
quis homo iuſtus debet orare pro eo. propter  
quam orationem Deus fecit impetum in iſum,  
quem impetum ſequens conuersus ad Deum, a-  
deptus eſt gratiam, & ſalvatus eſt. Deus ergo eſt  
noſtra ſalus principaliter: opera vero noſtra, &  
orationes noſtræ poſſunt eſſe quaſi ſecunda cauſa  
ſalutis noſtræ, & aliorum. Non, quod Deus mu-  
tetur per orationes noſtras: ſed noſ mutamur, &  
tenemus in manibus funes attingētes ad petram  
immobilem, trahendo huiusmodi funes; forte vi-  
deretur nobis, quod petra illa traheretur ad nos.  
non tamen ſic eſſet, ſed noſipſos traheremus ad  
petram illam. Orando ergo pro nobis, vel pro  
alijs, non trahimus Deum ad nos: ſed noſipſos,  
vel alios trahimus ad Deum, vt fiat de nobis, vel  
de alijs, quod Deus diſpoſuit. Si ergo ſecundæ  
cauſe poſſunt facere ad productionem diuinoſu  
effectuum tanquam diuina organa, orationes no-  
ſtræ proſunt ad ſalutem noſtram, & aliorum tan-  
quam ſecundæ cauſe, & tanquam diuina organa.

Deus quo-  
modovide-  
tur mutari  
ex ipſa mu-  
tatione. Id  
etiam vide  
l. ſent. d. 41.  
q. 2. in corp.  
q. Et Quo-  
d. 1. q. 2. vbi  
multa do-  
cta, & pou-  
chre diu-  
ſus. An pre-  
deſtinatio ſā  
doni preci-  
bus iuuen-  
tur.

R E S P. A D A R G. Ad prium dicendum, quod id, quod non potheſt quidem ſibi, non potheſt alij, verum eſt ceteris paribus. Si ergo homo non eſt in gratia, non potheſt ſibi mereri gratiam: quia oratio ſua non eſt efficax, cum non ſit grata Deo. ſed si homo eſt in gratia potheſt alteri mereri gratiam: quia oratio ſua eſt magis efficax, cum ſit grata Deo.

Datio pro  
peccatore  
quid effi-  
ciat.

Ad ſecundum dicendum, quod ſi homo non conuertitur ad Deum, non infunditur ſibi gratia; ſi conuertitur ad iſum, infunditur ſibi gratia. Quid ergo operatur oratio facta ab alio; Dici potest, quod cum non infundatur gratia, niſi fiat motus in anima à Deo, quem motum ſuperius appellabamus impetum diuinum: hoc ergo faciet oratio, quod propter orationē iuſti Deus faciet impetum, & motum in anima peccatoris, vt ſe conuertat, & recipiat gratiam.

ſeritum  
iustiti.

Ad tertium dicendum, quod meritum Chriſti præualet omni merito. Et ſi ex merito eius ali-  
quis non conſequitur gratiam, hoc eſt, quia præ-  
bet obicem, & impedit ſeipſum ad gratiam re-  
ciplendam; de plenitudine tamen eius omnes acce-  
pimus noſ omnes efficienter; quia non omnes fal-  
uantur, & efficiuntur iuſti: ſed omnes ſufficienter: quia meritum ſuum ſufficit ad ſaluandum to-  
tum Mundum, & ſi eſſent plures mundi.

Ad quartum dicendum, quod non arguit ar-  
gumentum, quod existens in gratia non potheſt al-  
teri mereri gratiam: ſed ſolum concludit, quod  
non ſemper exauditur ad impetrandum pro alio  
gratiam. Nam illæ conditions, de quibus agi-

A tur in argumento, accipiendæ ſunt pro oratione illa, quaſe ſemper exauditur. Nam ſi homo eſt in gratia, & orat pro pertinentibus ad ſalutem, & pro ſeipſo, ſemper exauditur, ſed ſi orat pro alio, non ſemper exauditur: quia potheſt aliud præbere obicem ſuæ ſaluti.

## ARTIC. III.

*An existens in gratia poſſit ſibi  
gratia augmentum mereri.  
Conclusio eſt affirmativa.*

D. Th. 1. 2. q. 11. 4. art. 8. Et 2. ſent. d. 27. art. 5. D. Bon. d. 27.  
art. 2. q. 2. Ric. d. 27. q. 5. Biel. d. 27. q. 1. Aegid. 1. ſenten-  
d. 17. q. 1. art. 1. 2. 3. & 7.



D T E R T I V M ſic proceditur: Videtur, quod homo in gratia non potheſt mereri augmentum gratia: quia meritum non potheſt eſſe respectu eius. quod eſt impossibile, ſed cuſ gratia ſit forma ſimplex, impossibile eſt ea augeri: ergo &c.

Præterea ex eisdem aliquid generatur, & au-  
getur: vt habitus generati ex actibus, augmentan-  
tur ex actibus, vt potheſt patere ex 2. Ethic. ſed gra-  
tia noſ generatur, nec infunditur, niſi à ſolo Deo:  
ergo à ſolo Deo augmentatur.

Præterea, ſub quo non cadit minus non vide-  
tur poſſe cadere maius. Cum autem gratia aug-  
mentata ſit quid maius, quam gratia ſimpliciter,  
ſi gratia ſimpliciter non cadit ſub merito: ergo  
nec gratia augmentata.

Præterea actio rei non videtur excedere virtu-  
tem eius: Augmentum ergo gratia, id eſt, gratia  
maior, non videtur cadere ſub merito gratia mi-  
noris: quia tunc gratia minor ageret ultra ſuam  
virtutem.

I N C O N T R A R I V M eſt, quod habetur in  
littera, videlicet, quod gratia meretur augeri, vt  
aucta mereatur perfici.

## R E S O L V T I O.

D Habens gratiam potheſt ſibi gratia augmentum me-  
reri, vt ex ipſa patet.

R E S P O N D E O dicendum, qd illud cadit  
ſub merito, quod debetur alicui pro opere, vel  
pro labore, vt ſit quædam æqualitas laboris, vel  
operis ad præmium, vel ad id, quod quis mere-  
tur pro opere, vel labore. Et quia in æqualitate  
conſtituit iuſtitia, oportet, quod meriti ad præmiū  
ſit quædam æqualitas, & quædam iuſtitia. Philo-  
ſophus autem in 5. Ethic. diſtinguit multos mo-  
dos iuſti, vel iuſtitiae, de quibus narrabimus qua-  
tuor: videlicet, qd iuſtu Dominatiuum, & iſta  
eſt iuſtitia Domini ad ſeruum, vel e conuerso: Pa-  
ternum, & iſta eſt iuſtitia patris ad filium, vel e  
conuerso: Vxorium, & iſta eſt viri ad vxorem,  
Aegid. ſuper ij. Sent. In iuſtitia qua-  
tuor ſpe-  
cies. ex Ari-  
ſtot. 5. Eth.  
cap. 6.

G g vel

vel econuerso. Et Politicum, & ista est ipsorum ciuium ad invicem. Primi tres modi iustitiae non sunt iustitiae simpliciter: quia seruus est res Domini sui. filius est res patris sui, vxor est res viri sui. Vnde vult Philosophus ibidem, quod in his non est simpliciter iustum, sed aliquid simile iustitiae. Et subdit causam: quia seruus est possessio Domini, & filius est possessio patris, vñque quo de illo secundum iura aliquid fiat. Et quia filius est pars patris, & quia seipsum nullus eligit offendere, neque ad seipsum potest esse iniustitia, neq; iniustum, non poterit esse ibi simpliciter iustitia, neque simpliciter iustum. Et quia opposita sunt apta, nata fieri circa idem, si non potest esse ibi simpliciter iniustitia, nec simpliciter iniustum. Et quia potest ibi esse aliquid simile iniustitiae, poterit esse ibi aliquid simile iusto. immo licet vxor sit quædam res viri; iustum tamen, & iniustum potest magis esse inter virum, & vxorem, quam inter dominum, & seruum, vel inter patrem, & filium: quia

Regimen Despotica, Regale, & Politicum, vide in Dæto de Regi li, ut regat ipsum secundum arbitrium. Sed vir prælib. 1. par. 1. est vxori regimine Politico, vt regat eam non omnino secundum arbitrium proprium: sed secundum certas leges, & certa pacta, vt ex hoc vxor non ita sit res viri, sicut filius, & maximè ante emancipationem est res patris, & seruus est res Domini ante manumissionem. In omnibus tamen his non est iustitia, simpliciter loquendo, sed aliquid simile, licet istud simile, vt patet per dicta, possit esse magis, & minus.

Meritū sim pliūtē in ter Deū, & hominem esse non potest. Possemus autem, si vellemus, omnia ista tria adaptare ad Deum præmiantē, & hominem merentem. Nam, vt diximus, oportet esse aliquam æqualitatem meriti ad præmium, & laboris, vel operis ad mercedē. Vbi autem est æqualitas, ibi est iustitia: vbi non est simpliciter iustitia, simpliciter meritum esse non potest. Et quia cōparamur ad Deum, sicut serui ad Dominū, sicut filii ad patrem. Et tota Ecclesia cōparatur ad ipsum, sicut corpus ad caput, & sicut sponsa ad spōsum; Si in ter Dominum, & seruum: patrem, & filium: spon sum, & sponsam, non potest esse simpliciter iustum, nec simpliciter meritū. Pōtest autem ibi esse aliquid simile merito, vel aliquid simile iusto. Propter quod hoc attendens Dominus Luce, loquēs

Lucr. 17. Discipulis suis ait: Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus, & quod debuimus facere, fecimus. Seruus autem nihil potest supererogare, sed totum est debitum quicquid facit: non est ergo simpliciter iustum, nec simpliciter meritum inter Dominum, & seruum, sed potest aliquid ibi esse simile huic. Et quod dictum est de Deo, prout est Dominus, veritatem habet de Deo, prout est Pater, & veritatem habet de Deo, prout incarnatus est sponsus Ecclesiæ, & totius Populi Christiani.

His visis, dicamus, quod non loquendo de merito simpliciter: sed de aliquo, quod est simile merito, quadrupliciter possumus loqui de homine, prout comparatur ad meritum. Primo, prout non ha-

A bēs gratiam, meretur gratiā sibi. Secundo, prout habens gratiam meretur gratiā alteri. Tertio, prout habens gratiam, meretur sibi augmentum gratiæ. Quarto, prout habens gratiam, meretur gloriam, & vitam æternam. sed quia de hoc quanto speciale mouebimus quæstionem; ideo presentialiter dimittatur.

Propter primum sciendū, q̄ homo non habēs gratiam dicitur mereri sibi gratiam: quia si facit totum, quod in se est, videtur decens, & congruū, q̄ Deus etiam faciat, quod in se est, sed hoc nō est meritum, sed pōt esse aliquid simile merito: quia, vt supra diximus, gratia non potest propriè caderē sub merito: quia tunc gratia non esset gratia; tamen in isto modo merendi est minus de iustitia, & de æquitate, que requiritur ad meritum, quam in alijs, quia si homo non habens gratiam adipiscitur gratiam, nō est ibi dignitas, nec simpliciter æquitas, quantum ad eum, qui impetrat gratiam: quia ille sine gratia non est Deo gratus, nec quantum ad eum, pro quo impetrat gratiā: quia impetrat eā pro se, qui, vt positū est, existit sine gratia, & nō est Deo gratus. propter quod potest ibi esse meritum de quadam congruitate, & decentia; tamen de æquitate, & iustitia non est meritum.

Sed dices, q̄ etiam primam gratiā potest quis mereri sibi ex condigno, & ex æquitate. Nam nos non impetramus gratiam à Deo, quia prius dilexit eum: sed quia ipse prior dilexit nos, & tā-

quam prior diligens prius stat ad hostium, & pulsat, vt aperiatur sibi, & prius mouet nos ad gratiā, & impellit nos ad eam, & vocat nos ad ipsam, C quam infundat nobis illā. Et quia nos possumus, secundū Dama, sequi sic pulsantē, & impellētem, cum non infundatur nobis gratia ultra istum impulsū, quædam æquitas erit ibi ipsius diuinī impulsū ad ipsam infusam: sicut ergo lapis impulsus iuxta impulsū sibi factum meretur secundū æquitatem adipisci sūmū vbi: Ita homo impulsus à Deo iuxta illū impulsū meretur adipisci gratiam. Et si non est verum, quod dictum est de lapide: quia lapides, & omnia carentia ratione non propriè dicuntur mereri, erit verum in homine, qui est rationalis naturæ.

Ad quod dici potest, q̄ est quæstio de prima gratia: vtrum homo mereri possit; Dicemus ergo, q̄ ipse diuinus impulsus est gratia. Propter quod non arguitur, q̄ homo sine gratia mereatur gratiā. propter quod & supra, cum agebatur de gratia operante, & cooperante, huiusmodi impulsū diuinū appellauimus gratiam operatē, & gratiam infusam per huiusmodi impulsū, & impetum cooperantem. Rursus: ipsam gratiam infusam, vt nos iustificat, & vt dat nobis esse spirituale, appellauimus operantē. sed, vt est principium meriti, & vt cooperatur libero arbitrio, appellamus cooperantem. Declaratum est igitur, q̄, prout non gratus meretur sibi gratiam, licet possit ibi esse aliquid simile merito; minus tamen est ibi de merito simpliciter, quam in alijs, vt ex hoc concludamus primam gratiam non posse sub merito cadere.

Secundo, vt dicebatur, homo existens in gratia potest

Meritū de congruū.

Gratia pri ma non ca dit sub merito.

poteſt alteri mereri gratiā, & hic eſt magis de me rito ſimpliſter, quām cū non habens gratiā meretur ſibi gratiā. Nam in non habēte gratiā, cum dicitur eā mereri pro ſe, nec eſt ibi dignitas ex parte merentis, nec ex parte eius, pro quo meretur; ſed cū exiſtens in gratia meretur primam gratiā pro alio, eſt ibi dignitas ex parte merentis, licet non ſit ibi dignitas ex parte eius, pro quo meretur, qui ponitur eſſe ingratus, & fine gratia.

Tertio, vt dicebatur, homo existens in gratia poteſt ſibi mereri augmentum gratiā, & de hoc eſt noſtra quæſtio hic mota. Ad quod dicimus, q̄ hic eſt plus de merito ſimpliſter, quām in duobus primis: quia cum non habens gratiam, meretur gratiam ſibi, nec eſt ibi dignitas eius, qui meretur, nec eius pro quo meretur, ſed utrobiq; eſt ibi indignitas. & cuīm habens gratiam meretur gratiam alij non habenti, eſt ibi dignitas ex parte merentis: quia eſt in gratia, & eſt Deo gratus, licet nō ſit ibi dignitas ex parte ipſius, pro quo meretur. Sed tertio modo, cum quis existens in gratia, meretur maiorem gratiam, & augmentum gratiā, plus eſt ibi de merito ſimpliſter, quām in præhabitibus. quia eſt ibi dignitas, & ex parte merentis, qui dicitur eſſe in gratia, & ex parte eius, pro quo meretur: quia meretur pro ſeipſo, qui eſt in gratia.

*Gratiā in-  
cremen-  
tu ex  
operibus.*

Quod ſi dicatur, q̄ eſt in gratia minori, & meretur maiorem; Dicemus, q̄ hoc eſt in omnibus habitibus valentibus augmentum fufcipere, qui augmentantur ex ſimilibus operibus. vt per opera temperantiae augmentatur téperantia, vel diſponitur ille habitus ad augmentum; ſic, quādū ſumus in via, vbi poteſt augmentari gratia, per quodlibet opus factū in gratia augmentatur gratia, vel diſponitur ad augmentum. Et quamuis non omnino eodem modo gratia ſit principium operum, ſicut habitus eſt principium actū: quia actus immediate egrediuntur ab habitu, ſed à gratia egrediuntur opera mediata: quia gratia eſt in iſpla eſſentia animæ, quæ non eſt immediate agēs;

*Anima pri-  
muſ ſen-  
tientia.*

Dicemus, q̄ ſicut eſſentia animæ eſt principaliter agens, ſed agit mediante potentia: & ſicut eſt primum ſentiens, ſed ſentit mediante ſenſu: ſic gratia eſt primum, & principaliter operans, ſed operatur mediante virtute, & ſpecialiter mediante charitate. Et quia iſpa opera attribuuntur principaliter gratiā, dignum eſt, quod augmentent gratiam.

## D V B. I. L A T E R A L I S.

*An per minorem gratiam, maiorem ſibi  
poſſit mereri.  
Conclusio eſt affirmativa.*

**L**ITERIVS autem: quia intellectus hominis non quiescit, dubitaret forte aliquis, quomodo poteſt quis mereri augmentū gratiā, vel quomodo poteſt quis per minorē gratiam mereri maiore; Dicendum, q̄ perfectiones naturales in corporibus procedunt de imperfecto ad perfectum, &

A perfectiones acquisitæ naturaliter in anima procedunt etiā de imperfecto ad perfectum: ergo & perfecta p-  
erfectiones gratuitæ, non eſt inconueniēs, q̄d cedit for-  
mam. Perfe-  
tio-  
nem. Idq;  
imperfecte, & poſtea augmentatur in calore, &  
quando non poteſt ibi ſtare aer viterius, introdu-  
citur ibi forma ignis, ſecundum quam formam  
sequitur ibi perfectus calor, propter quod imper-  
fectus calor p̄cedit introductionē formæ ignis:  
perfectus autem sequitur. Prius enim introduci-  
tur forma ignis in materia, quām habeat ibi eſſe  
perfectus calor, ſed calor imperfectus p̄cedit  
huiusmodi formam.

B Sed quæres cauſam, quomodo per imperfectū calorem introducitur perfectus calor. Nam per imperfectum calorem introducitur forma ignis, qua inducta inducitur perfectus calor. Ad quod dici poteſt non eſſe inconueniens formam agere ultra ſuam ſpeciem in virtute alterius. Calor er-

go agit in virtute formæ ſubſtantialis ignis: acci-  
dens ergo inducit ſubſtantiam in virtute ſubſtan-  
tiæ, & calor imperfectus inducitur perfectum indu-  
cendo formam ſubſtantialem ignis, in cuius vir-  
tute agit, ad quam ſequitur perfectus calor. Na-  
turale eſt ergo in corporibus, q̄ de imperfecto

it ad perfectum, & corpus per imperfectum adi-  
piciunt perfectum modo, quo dictum eſt. Et  
ſicut ſe habet in perfectionibus corporis, ſic ſuo  
modo ſe habet in perfectionibus animæ naturali-  
ter acquisitis, cuiusmodi ſunt virtutes, & habitus

naturaliter acquisiti. Nam talia per actus generā-  
tur, & augmentantur: actus. n. imperfecti p̄ce-  
dunt generationem habituum, perfecti ſequuntur,

C loquendo de habitibus bonis, de quibus in-  
tendimus loqui; ſic & in augmentatione habituū  
actus imperfecti p̄cedunt augmentum, perfecti ſequuntur. Nam primo quis facit opera tem-  
perantiae imperfecta: quia non facit delectabili-  
ter. Et per huiusmodi opera adgeneratorib; ibi ha-  
bitus temperantiae, quo adgenerator facit opera  
temperantiae perfectiora: quia facit ea delectabili-  
ter. Iuxta illud 2. Ethic. Signum autem generati  
habitus eſt delectationem, vel triftitiam fieri in  
opere. generator enim habitu in opere conſono  
habitui, fit delectatio: in contrario fit triftitia.

D Sed dices, quomodo ex imperfecto opere po-  
tentia generari habitus, & perfectum opus. Ad q̄. 21. Quo-  
d

dicemus, ſicut & ſupra diximus, non eſſe inconueniens organum agere ultra ſuam ſpecie, vt dolabra, vbi non eſt forma artis, regulata ab artifice, inducit formā artis: ſic & in proposito. Dicemus enim, quod in lumine intellectus agen-  
tis ſunt nota principia tam ſcientiarum, & artū, quām etiam virtutum. Et inde eſt, quod omnia ista diffiniuntur per rationem: quia omnia iſtorum principia ſunt nota in lumine rationis. Po-  
tentia ergo describi ſcientia, q̄ eſt recta ratio ſpe-  
culabilium. Ars autem, quod eſt recta ratio facti-  
bilium: virtus moralis acquisita, q̄ eſt recta ratio agibilium. Inſeruit enim Deus in anima noſtra  
principia omnium ſcientiarum humanarum, ar-  
tū, & virtutum: non q̄ in intellectu noſtro ali-  
ta. Aegid. ſuper ij. Sent. G g 2 qui l

Principia  
ſcientiarum,  
Artū, & vir-  
tutum quo  
modo no-  
ta.

quid sit scriptum, vel p̄ctū in sui primordio, sed est sicut tabula rasa: sed quia Deus indidit nobis tale lumen rationis, vt intellectus agentis, in quo omnia hēc principia sunt nota, & quilibet ea probat, i. approbat audita. Ante ergo habitū scientiæ imperfectè speculamur, post habitū perfecte. Et sic in arte, & virtute prius sunt imperfecta opera, & post generationē virtutis, & artis sunt perfecta.

Et si queras, quomodo ex imperfectis actibus generabuntur habitus, & per habitus perfecti actus. Dicemus, q̄ hoc non agunt actus imperfecti in virtute propria: sed in virtute luminis intellectus agentis, in quo sunt nota principia omnium præfatorum habituum, quæ & si sunt minima quantitate, sunt maxima virtute. Et quod dictū est de generatione habituum, q̄ ante generationē sunt opera imperfecta, & post generationē perfecta, veritatē habet de augmento eorum: quia in virtute illius luminis, per quod generantur ex actibus, augmentantur etiam per actus. Et sicut sunt perfectiores actus post generationem habituum, ita sunt perfectiores post augmentum eorum. Actus ergo ante generatum habitum sunt imperfecti respectu actuum post habitum augmentatum: ita, q̄ perfectum, & imperfectū possunt suscipere magis, & minus. Ante ergo generatum habitum sunt actus simpliciter imperfecti: sed post generatum habitum non sunt simpliciter imperfecti: sed possunt dici imperfecti respectu actuum post habitum augmentatum.

Et si queratur, quomodo per imperfectionem adipiscimur perfectū, erit eadē solutio, quę prius: quia hoc non faciunt actus imperfecti in virtute propria, sed in virtute luminis intellectus agentis, in quo sunt nota principia, per quā regulamur in illis actibus. Nam per istud principium agibiliū: Quod tibi non vis, alij non feceris; quod est notum in lumine intellectus agentis, possumus regulari in omnibus habitibus virtutum, per quas communicamus cum alijs, & acquirere huiusmodi virtutes, & augmentari in illis.

Et quod dictū est de perfectionibus corporū, & animarū acquisitis aliquo modo, veritatem habet de gratia, quę est perfectio animæ nostræ à Deo infusa. Nā actus nostri, per quos infunditur nobis gratia, sunt valde imperfecti, qui actus per infusionē gratiæ sunt perfecti, & post augmentū gratiæ sunt perfectiores. Oportet, n. q̄ in adultis actus liberi arbitrij precedant infusionē gratiæ, & post infusionē gratiæ actus liberi arbitrij erūt perfecti, & augmentata gratia erūt perfectiores. Inaugurabimur, n. q̄ sicut in operibus naturæ Deus quadā occulta operatione semper mouet naturā, quam occultam operationem si Deus subtraheret, extincta esset operatio naturæ, vt dicit August. 9. super Gen. ita & multò magis in operibus gratiæ quadam occulta operatione Deus semper mouet, & impellit nos ad huiusmodi opera, quā occultā operationē si Deus subtraheret, extincta essent opera gratiæ. Dicimus autē multò magis, quia magis potest natura secundū se in opera nature, quam possit homo secundū se in opera gratiæ. In operibus ergo gratiæ de imperfecto itur ad

A perfectū, vt ex operibus ante gratiā adipiscimur gratiā non ex condigno, sed ex congruo: vt si homo facit totū, quod in se est, Deus facit, quod in se est, & infundit gratiā. Juxta illud Esaie: Iudicante pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me, dicit Dominus. i. facite, quod in vobis est, & venite, arguite me, si non faciā, quod in me est; dicit Dominus. Vtrūq; autē, vt supra diximus, habetur in Scriptura sacra, videlicet, q̄ cōuersio nostra est à Deo, & q̄ est a nobis. Est. n. à Deo iuxta illud: Conuerte nos Domine, & conuertemur. Et Thren. s. est à nobis, iuxta illud: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Est ergo hic ordo, q̄ Deus prius facit impulsū in animam nostram, vt conuertamur. Si nos autē illum impulsū sequimur, & quantum est in nobis conuertimur, Deus perficit illam conuersionē, & infundit nobis gratiā. Nos ergo primò oramus: Cōuerte nos Domine, & conuertemur. i. impotentes sumus, sine te nihil possumus facere, sed conuerte nos, i. voca nos, & fac impulsū in anima nostra, & iuua cōuersiōnem nostram, & cōuertemur. Ad quod Deus respondet: Cōuertimini ad me, id est, sequamini vocatiōnem meam, sequamini impulsū meū, aperite mihi ostium cordis vestri, & ego cōuertar ad vos, conuersionem vestram perficiendo, & vobis meam gratiam infundendo. Prius ergo Deus adiuuat nostram conuersionem, nos ad gratiam impellendo, & nos ad eam vocando, & ad ostium cordis nostri stando, & postea perficit nostram conuersionem, nobis suam gratiam infundendo. Ergo per actus liberi arbitrij nostri, quantum in nobis sunt, qui sunt valde imperfecti, conuertendo nos ad Deum, adipiscimur gratiam, per quā progredimur in actus perfectos.

C Si ergo queras, quomodo per actus liberi arbitrij imperfectos adipiscimur gratiā, per quā progredimur in actus perfectos, Dicemus, q̄ hoc nō faciūt actus liberi arbitrij in virtute propria, sed in virtute impulsione diuina, quę p̄cedit omnes actus liberi arbitrij nostros. Et q̄ per aliquid imperfectū in virtute alterius inducatur aliquid perfectū, non est inconveniens, vt est per habitus declaratū. Et quod dictum est de infusione gratiæ, veritatem habet de augmento. Nā ille idē, qui ante gratiā impellit nos ad gratiā, post gratiam impellit nos ad augmentū gratiæ: vt qui iustus est, iustificeatur adhuc, & qui in fôrdibus est, fôrdescat adhuc. quia sicut Deus impellit nos ad gratiā, & post gratiam impellit nos ad augmentum gratiæ; sic peccatum auerterit nos à gratia, & si per penitentiam non diluitur, suo pondere in aliud peccatum trahit, & magis auerterit nos à gratia: vt iustus magis iustificetur, & fôrdidus magis fôrdescat.

D Cum ergo queritur, quomodo ex minori gratia possimus mereri maiorem; Dicemus, q̄ hoc fit ex impulsione diuina nos impellente à minori reatur majori. gratia ad maiorem, sicut fit ex impulsione diuina nos impellente, ante gratiam ad gratiam. Veruntamen cum de nō gratia impelliunt ad gratiam, valde largè habet rationem meriti, quia cum ante gratiam non simus grati Deo, quantumcumq; faciamus, quod in nobis est, nulla dignitas est in nobis,

nobis, ut ex condigno mereamur gratiam, sed post gratiam: sed cum simus grati Deo, aliqua dignitas est in nobis, ut possimus mereri augmentum gratiae propter quod magis propriè dicimus mereri augmentum gratiae, quam gratiam.

R E S P. A D A R G. Ad primum dicendum, q[uia] forma simplex, & secundum se non suscipit magis, & minus: potest tamen hoc suscipere ex maiori, & minori dispositione subiecti. Et quia cu[m] à Deo impellimur ad maiorem gratiam, sequendo impulsionem illam simus magis dispositi ad gratiam, possumus ex hoc mereri maiorem gratiam. Et si queratur, quomodo ex parte nostra cadit ibi ratio meriti; Dicendum, q[uia] in nobis est sequi, vel non sequi illum impulsu[m]. & quia voluntariè sequimur huiusmodi impulsu[m], dicimus mereri augmentum gratiae: tamen totum potest dici gratia, cum gratiae innitendo mereamur augmentum gratiae: habet tamen aliqualiter rationem meriti, cum hoc non, nisi voluntariè faciamus.

Ad secundum dicendum, q[uia] etiam si non est per omnem modum simile de habitibus acquisitis, & de gratia infusa; tamen est aliquo modo simile: quia sicut habitus acquisitus per actus generatur, & per actus augmentatur; sic gratia, principali[er]e loquendo, per impulsionem diuinam infunditur, & per impulsionem huiusmodi augmentatur. propter quod saluare possumus, q[uia] argumentum concludit aliqualiter veritatem.

Ad tertium dicendum, q[uia] referendo infusionem gratiae ad impulsionem diuinam, & augmentum referendo ad eandem, quamvis infusio gratiae possit dici quid minus, & augmentum quid maius; potest dici, q[uia] sub eodem principaliter cadit minus, & maius: quia per impulsionem diuinam est principaliter infusio, & augmentum.

Ad quartum dicendum, q[uia] actio rei non excedit virtutem eius in his, quae agit virtute propria: sed in his, quae agit virtute alterius, potest excede re virtutem eius. Et quia homo non meretur augmentum gratiae, neque etiam infusionem, nisi vt impelliatur à Deo: ideo non est inconueniens, q[uia] in virtute alterius, id est, impulsionis diuinæ, minor gratia mereatur maiorem.

## A R T I C. IIII.

*An Homo per gratiam mereri possit vitam aeternam.  
Conclusio est affirmativa.*

D.Th. 1.2. q. 114. art. 3. Et 2. sent. d. 27. art. 3. Ric. d. 27. q. 6. Biel. d. 27. art. 4. Dur. d. 27. q. 2. Capr. d. 27. q. 1. Th. Arg. dist. 27. q. 1. art. 4.



D Q U A R T V M sic proceditur: videtur, q[uia] homo per gratiam non possit mereri vitam aeternam ex condigno: quia, vt dicitur ad Romanos: Non sunt condigne passiones huius temporis, &c. sed Sancti per passiones, quas sustinuerunt pro Deo,

Rom. 3.

A potissimum merebantur vitam aeternam: ergo &c.

Præterea condignum dicit aequalitatem: sed impossibile est, quod actus nostri quantumcumque facti in gratia aequaliter illi præmio, quod nec oculus videt, nec auris audiu[n]t, nec in cor hominis ascendit: ergo nullo modo ex condigno potest quis mereri tantum præmium.

Præterea homo meretur apud aliquem, qui per opera sua iuuatur per illum: sed Deus nullo modo iuuatur per opera nostra. Iuxta illud: Bonorum meorum non eges. Et iuxta illud Iob: Si iuste egeris, quid ei donabis? ergo non solum ex condigno, sed nullo modo possumus mereri apud Deum.

B Præterea, si mereri possemus apud Deum, Deus esset noster debitor, sed Deus nulli est debitor: ergo &c.

Præterea, vt supra diximus per Euangelium: Cum omnia benefacimus, nihil super erogamus: sed debemus dicere: serui inutilis sumus &c. ergo nihil à Deo mereri possumus, nec ex condigno, nec aliter.

I N C O N T R A R I V M est Apostolus, qui ait, q[uia] reposita est sibi corona iustitiae, quam reddit sibi iustus index. sed quod ex iustitia redditur, meritò debetur: ergo &c.

Præterea, si peccatores malè faciendo merentur peccatum ex condigno: ergo iusti bene faciendo merentur gloriam, & vitam aeternam ex condigno.

## R E S O L V T I O.

*Mereri non possumus vitam aeternam ex naturalibus de condigno, sed de congruo, si rei natura consideremus. De condigno vero, si ipsam gratiam perpendamus: non rei quantitate: sed diuinam promissionem, cum quadam aequalitate: nec non Dei liberalitatem.*

R E S P O N D E O dicendum de hoc esse diversos modos dicendi. Nam aliqui dicunt ex condigno possumus mereri vitam aeternam. Aliqui, quod non adhaerentes illi verbo Apostoli: Non sunt condigne &c. sed non est inconueniens meritum respectu eiusdem finis, aliter, & aliter considerati, posse esse ex condigno, & non ex condigno. Tria ergo sunt hic consideranda: Primo natura rei, quae meretur. Secundo gratia, per quam meretur. Secundo ipse Deus, qui est productor naturæ, & infusor gratiae.

Si ergo consideremus ipsam naturam rei rationalis, quae est ordinata ad vitam aeternam, quandam aptitudinem possumus ibi reperi[re]. sed cum istis finis sit supra naturam, nullo modo ex solis naturalibus possumus ipsum mereri ex condigno, sed forte ex congruo: vt si homo faciat totum, quod in se est, videtur congruum, quod Deus faciat, quod in se est, & infundat sibi gratiam, per quam mereantur gloriam. immo oportet, q[uia] ipsam naturam gratia Dei preueniat, & sequatur: preueniat quidem impellendo, & mouendo, & sequatur gratia infundendo. Illud enim verbum Sapient. q[uia] sap. 3. Aegid. super ij. Sent. Gg 3 pientia

Meritum  
vitæ aeternæ ex con-  
gruo, non  
ex condigno  
potest ha-  
beri ex pu-  
bris natura-  
libus.

plentia attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter; veritatem habet tam in naturalibus, quam in gratuitis. Attingit enim diuina sapientia à fine usque ad finem fortiter omnia naturalia mouendo, & disponit omnia suauiter secundū motum eis factū, naturam imprimendo. Homo non mouens lapidem fortiter, vel violenter à fine usque ad finem, id est, à termino usque ad terminum: à termino, in quo incipit motus: usque ad terminum, in quo finit motus; non facit tamen hoc suauiter, quia non imprimit lapidi lenitatem, qua suauiter tendat sursum, sed tendit ibi violenter. sed motus diuinus, tam in naturalibus, quam gratuitis omnia mouet fortiter, & omnia suauiter disponit, ut in gratuitis primo facit impetum, & impellit voluntatem ad bonum: & nisi homo prebeat obicem, infundit animæ gratiam, per quam suauiter tendat in bonum. Ipsa ergo naturalia, nisi Deus attingat ea impellendo, & nisi suauiter disponat ea, gratiam infundendo, mereri non possunt vitam æternam: nisi forte, ut diximus, secundum quandam congruitatem.

Hoc ergo modo non possumus mereri vitam æternam ex condigno: sed si consideremus ipsam gratiam, meremur gloriam, & vitam æternam ex condigno, quantum ad rem, sed non quantum ad quantitatem rei. Quatum ad rem quidem meremur ipsam: quia omnis habens gratiam dignus est gloria, & dignus est vita æterna, propter quod quantum ad rem, potest ibi esse meritum ex condigno. Sed quantum ad quantitatem rei non erit meritum ibi ex condigno: quia dabitur nobis mensura bona, conferta, & coagitata, & superaffluens. Præmiabitur enim ultra condignum, & mali punientur citra condignum. Non enim tantum affligerunt, quantum meruerunt: & boni plus gloriabuntur, quam meruerunt. Condignum enim dicit quandam æqualitatem, quæ secundū quantitatem ibi non erit. Et ideo communiter ponitur, quod non erit ibi æqualitas quantitatis, sed proportionis, quia dabitur merenti ultra condignum secundum quantitatem: sed erit quædam æqualitas secundum proportionem. Excedit enim præmium meritum proportionabiliter, ut secundum radicem charitatis, & gratiae proportionabiliter recipiet de gloria vniuersisque.

Sic enim loquendum est, si consideremus naturam, vel gratiam: sed si consideremus ipsum Deum, qui naturæ perfectæ per gratiam dat gloriam, & vitam æternam; possumus inuenire condignum, & æqualitatem quantum ad tria. Primo, quantum ad diuinam impulsione. Secundo, quantum ad diuinam promissionem. Tertio, quantum ad eius liberalem retributionem. Nam Deus impellit nos ad gratiam eam infundendo. Secundo impellit nos ad eam, eam augmentando. Tertio impellit nos ad ipsam, eam perficiendo. Infusio ergo gratiae, augmentum ipsius, & perfectio eius quandam æqualitatem fortuntur ex diuino impulsu, sive sit perfectio viae, sive perfectio patriæ. Perfectio quidem viae est specie, quæ quis sperans esse cum Christo, cupit dissolui, & esse cum ipso. Perfectio patriæ est recte, quæ ho-

Th. 2. sent.  
dict. 27. q. 1.  
art. 3. ad 2.  
Capt. in 1.  
sent.

Meritū vitæ  
æternæ ex  
condigno in  
de, & quo-  
modo.

Reflexio  
duplex.

A bebimus, & tenebimus ipsam rem, sive ipsum Deum. Et quia secundum mensuram impulsus, & vocationis diuinæ erit retributio gloriae, fortitar meritum nostrum quoddam condignum, & quandam æqualitatem secundum motionem diuinam ad vitam æternam, sive ad gloriam.

Secundo possumus mereri ex condigno, & cu quadam æqualitate vitam æternam, si consideremus diuinam promissionem. Nam si quis promitteret alij dare unum castrum pro uno denario, considerata promissione, esset ibi quædam iustitia, & quædam æquitas, vt daret sibi castrum hoc modo. Et quia Deus promisit iustis dare, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit; licet hoc excedat omnem laborem iustorum: considerata tamen diuina promissione, quæ conduxit nos in vineam suam pro huiusmodi præmio, & pro huiusmodi denario, est ibi quoddam condignum, & quædam æquitas.

Tertio possumus mereri ex condigno, & æquitate vitam æternam, eo modo, quo habebimus ipsam, si consideretur diuina liberalitas, vel diuina magnificencia. Nam Deus non solum est liberalis, cum liberalitas possit esse in paruis sumptibus, & in paruis donis: sed etiam est magnificus, qui semper exhibit magna dona. Unus enim liberalis, & magnificus homini sibi grato pro paruo labore retribuet magnum benum. Si ergo labor noster non est condignum præmio, vel mercede, quam dabit nobis secundum se: poterit tamen esse condignum, considerata diuina liberalitate, & magnificencia, ad quam spectat pro modo labore magna retribuere.

R E S P. A D A R G. Ad primum dicendum, quod pauperes huius temporis ipsæ in se non sunt condignæ ad futuram gloriam. Sed considerata diuina impulsione, & eius promissione, & liberalitate, possunt esse condignæ.

Ad secundum dicendum, quod, ut diximus, ex gratia sumus digni re, & digni gloria: sed non tanta re, nec tanta gloria, quanta tribuetur nobis. propter quod retributio excedit radicem gratiae secundum se: sed considerata diuina liberalitate, & consideratis alijs, quæ diximus, poterit ibi esse quædam æqualitas.

Ad tertium dicendum, quod si consideretur meritum secundum iuuamentum, valebit hoc in iustitia commutativa, vbi venditor denaritatem pro denario, & emptor e conuerso. Et est ibi utriusque iuuamentum: quia emptor se iuuat de denariata, & venditor de denario. Est enim denarius, secundum Philosophum, fideiusfor noster: si enim pro denariata accipis denarium, denarius fideiubet tibi: pro denario habebis denariatam: sed in iustitia distributiva, prout Reator ciuitatis distribuit honores, & utilitates cuilibet, non consideratur iuuamentum distributionis: sed merita ciuium, & laus, & honor Principis. Sic & in proposito Deus, qui est Princeps universi, secundum merita nostra, considerata ciuius liberalitate, retribuet nobis præmium, & mercedem.

Meritū ex  
condigno ex  
Dei promis-  
sione.

Meritū ex  
condigno ex  
diuina libe-  
ralitate.

*Opere super ergo rationis bonum datur ex parte non sunt.*

Ad quartum dicendum, quod, ut supra tetigimus, propriè accipiendo meritum: oportet, q[uod] inter meritum, & præmium sit quædam æquitas, & quædam iustitia: sed inter dominum, & seruum non est propriè iustitia, sed aliquid simile iustitiae. Propter quod omnia bene facientes sum pliciter loquendo, & considerando nos ipsos, qui sumus omnino serui, non supérerogamus. sed considerando diuinam liberalitatem, & benignitatem, & eius gratiam secundum quam sumus ei grati, opera nostra sunt meritoria apud Deum.

Vel possumus dicere cum Augustino ad Sixtū præsbyterum, & habetur in littera: Cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronar, q[uod] munera sua. propter quod si, vt serui non possumus mereri, simpliciter loquendo: tamen cum auxilio Dei, & munere eius possumus mereri,

*Deo noster debitor ex promissiōnibus eius, cuiusque liberalitate.*

Vel possumus dicere, quod Deus est debitor noster, & si non simpliciter, ratione tamen promissionum suarum, quia nobis vigilantibus, & certantibus promisit coronam iustitie omnibus, qui diligunt aduentum eius.

Ad quintum patet solutio per iam dicta, quia si non possumus aliquid erogare nostræ naturæ derelicti, vt serui: possumus hoc facere a Deo ad iuti, & vt sibi grati,

### Dubitatio I. Litteralis.

 V P E R litteram primo dubitatur de diffinitione virtutis: primò de illo verbo: Virtus est bona qualitas mentis. Nam videtur, quod ibi, bona, se habebat, vt genus: & qualitas, vt differentia, quia plus est bonum, quam quale: cum bonum dicatur æqualiter enti.

Sed contra: Transcendentia non habent rationem generis, sed bonum est quid transcendentis: ergo &c. Dicendum, quod bonum quod ponitur in diffinitione virtutis, non est bonum transcendens. Nam in his, quæ agunt per electionem, inuenitur specialis ratio boni: in quantum habet ordinem ad rationem. Aliud est ergo bonum in se, & aliud, quod est bonum nobis, & secundum quod dicitur ratio nostra. propter quod Philosophus in principio Ethici vult, quod homines ne sciunt orare, id est, ne sciunt optare bona. Orant enim, quod habeant diuitias, &, quod habeant ista bona temporalia, sed dicunt orare, quod diuitiae, & temporalia, quæ sunt bona in se, sunt bona eis: Ergo in his, quæ agunt per electionem, est aliquis specialis modus bonitatis: prout habet ordinem ad rationem, & hoc modo res sunt bona nobis. Nam cum sumus rationales, illa sunt bona nobis, quæ non sunt nobis bona, ut ratio dicit. Bonum ergo, quod ponitur in diffinitione virtutis: non est de transcendentibus: sed habet specialem modum bonitatis.

### Dubitatio II. Litteralis.

Vlterius fortè dubitaret aliquis de hoc etiam,

A quod virtus dicitur bona. Nam cum virtus sit quædam bonitas, si virtus est bona: Ergo bonitas est bona, & bonitas denominabit seipsum, quod est inconveniens. Nam cum unaquaq[ue] res prædicetur essentialiter de seipso, & prædicatio essentialis contrarietur prædicationi denominatiæ: videtur, quod nulla res prædicetur denominatiæ de seipso. Dicitur enim homo animatus: sed, quod ipsa anima dicatur animata, videtur absurdum. Sic etiam, quod albedo dicatur alba, vel quod bonitas dicatur bona, videtur inconveniens.

Dicendum, quod eo modo bonitas potest dici bona, quæ perfectio potest dici perfecta. Non autem videtur possibile, quod perfectio dicatur perfecta, & quod perficiat seipsum, sed si inuenitur perfectio, quæ perficit aliquid, & perficiatur ab alio, illa perfectio dicitur perficiens, vt perficit, & perfecta, vt perficitur. Sicut videmus, q[uod] superficies perficit corpus, & perficitur a colore, vel ab albedine, propter quod superficies potest dici perficies, & perfecta: & potest dici perfectio perfecta. Sicut etiam color perficit superficiem, & perficitur a luce. Et quia non potest esse, quod perfectio dicatur perfecta secundum eundem rationem perfectionis: cum diversa ratio perfectionis non videatur posse inueniri in re in speciali, sed in re generali: ideo communiter dicitur, quod formæ generales denominant seipsum, vt bonitas dicitur bona, sed formæ speciales non denominant seipsum, vt albedo dicatur alba.

Sed hoc est contra August. 7. de Trinit. quod non abusu dicitur candor candidus, sed si dicitur candor candidus: oportet nos concedere, quod dicitur albedo alba. Scindum ergo, quod & si potest alio modo saluari candor candidus, vel albedo alba, vel virtus, quæ est quædam bonitas, quod dicitur bona. Iste tamen modus magis est consonus rationi, quod alio modo, & alia materia denominet aliud, & alio modo denominet ipsum: siue illa forma sit specialis, siue generalis, forte ratio denominandi seipsum plus inuenitur in generalibus formis, quam in specialibus, quia in genere magis inuenitur diversa ratio, quam in specie: cum dicatur in Physicis, quod latentæ equivalentes generis, tamen si in re speciali inueniatur huiusmodi diversa ratio, res specialis poterit denominare seipsum, vt virtus quantumcumque specialiter sumpta: ut puta fortitudo, vel temperantia est bonitas, & est bona, & est quædam bonitas, vt comparatur ad subiectum, quod perficit, & quod facit bonum: & est bona, vt comparatur ad ordinem rationis, secundum quem reddit bonum opus. Et ideo dicitur de omni virtute, quod habentem perficit, & opus eius bonum reddit. Sic albedo potest dici alba, & candor candidus, sed secundum aliam rationem dicitur albedo, & secundum aliam alba. Dicitur, n. albedo, vt comparatur ad subiectum, quod de albat: & dicitur alba, vt comparatur ad lucem, quam in abundantia participat: & id est sonabit albedo alba, quod albedo clara: sic etiam candor dicitur candidus, id est, lucidus, vel clarus. Virtus ergo potest dici bonitas, & bona. Bonitas per

Prædicatio identica esentialis.

tom. 3. c. 1.

7. Phys. 31.

2. Eth. 6.

per comparationem ad subiectum , quod perficit, & facit bonum . Bona in ordine ad rationē , a qua sumit bonitatem , & reddit bonum opus .

Vel possumus aliter soluere , quòd virtus dicit bona qualitas , quia qualitas erit ibi , vt genus , bona , vt differentia . Et quia non est contra rationem differentiæ , quòd prædicetur denominatiuè , bonitas de virtute prædicabitur denominatiuè , & qualitas tanquam genus prædicabitur essentialiter , & dicetur bona qualitas , sicut potest dici homo rationale animal .

### Dubitatio III. Litteralis .

Vlterius fortè dubitaret aliquis de eo , quòd virtus dicitur bona qualitas . Nam cum virtus sit quidam habitus , & bonum , & malum possint respicere eundem habitum : videtur , quòd virtus respiciat bonum , & malum . Dicendū , quòd si idem habitus potest esse contrariorum : tamen non potest esse , quòd habitus sit bonus , & malus . Nam ipsius boni , & mali potest esse bonus habitus tanquam disciplina-vtriusque : vt congrui , & incongrui est vna disciplina , quæ est grammatica , quæ est bonus habitus . Et sani , & egri est vna ars , id est , medicina , quæ est bonus habitus . Dato ergo , quòd virtus sit boni , & mali : boni prosequendi , mali fugiendi , non dicitur mala qualitas , sed bona . Vel possumus dicere , q̄ non est simile de arte , & virtute . quia virtus est certior omni arte , & inclinat in aliquid per modum naturæ , vt specialiter dicatur de virtute , quòd est bona qualitas . Propter quod Philosophus in 5. Ethic. assimilat virtutem sanitati non arti . Nam ab eadem arte possunt fieri contraria . sed sanitas ita reddit sanum subiectum , quòd non reddit ipsum egrotum . Et virtus , secundū quod huiusmodi , ita facit animam sanam , quòd non reddit eam egrotam , & ita inclinat bonum opus , quòd non inclinat in malū : propter quod potest dici bona qualitas . est enim in prima specie qualitatis , quæ est habitus .

### Dubitatio IIII. Litteralis .

Vlterius fortè dubitaret aliquis de eo , quòd virtus dicitur bona qualitas mentis . Nam non omnes virtutes sunt in mente , quia aliquæ sunt in parte sensitiva , vt fortitudo est in irascibili , temperantia in concupisibili , quæ sunt partes appetitus sensitivi . Dicendum , quòd accipiendo mentem largè pro omni natura rationali , siue sit rationalis per essentiam , siue per participacionem , omnis virtus est in mente , quia vel est in rationali per essentiam , vel in rationali per participationem . irascibilis enim , & concupisibilis , qui sunt fortitudo , & temperantia ; & si non sunt rationales per essentiam , sunt rationales per participationem . Vel possumus dicere , quòd virtus est bona qualitas mentis , non quòd omnis virtus sit in mente , sed quia est a mente . quia in tantum est virtus , in quantum est secundum dictamen rationis . Iuxta illud Philosophi : Virtus

Ethic. 3.

Ethic. 6.

A est habitus electiuus in mediocritate cōsistens , vt recta ratio iudicabit . Vel possumus dicere , q̄ August. non intendit hic diffinire omnem virtutem , sed virtutem infusam menti , id est , animæ rationabili , quod patet ex eo , quòd in diffinitione sequitur , quòd Deus in nobis sine nobis operatur , quod non est verum de virtutibus acquisitis , sed solum de infusis .

### Dubitatio V. Litteralis .

Vlterius fortè dubitaret aliquis de eo , quod in diffinitione præfata sequitur , videlicet , quòd virtus est bona qualitas mentis , qua rectè viuitur : sed rectitudo videtur appropriari iustitiæ , cui ap propriatur æquitas . quia id videtur esse æquum , & rectum , vt videtur velle Philosophus in Eth. s. Ethic. 3. vbi agit de iustitia . Sed illud , quod pertinet ad aliquam virtutem specialiter , non debet poni in diffinitione virtutis simpliciter . Dicendum , q̄ rectum , & æquum possunt considerari dupliciter , vel , vt sunt in rebus , vel , vt sunt in motibus animi . Si vt sunt in rebus sic spectat ad iustitiam , cu ius est etiam ipsas res æquare secundum quantitatem , vt patet in iustitia commutativa : sed , vt hæc sunt in passionibus , & motibus animi , non secundum quantitatem , sed secundum rationē , vt dicit ratio , sic pertinet ad alias virtutes , & sic potest poni in diffinitione virtutis .

### Dubitatio VI. Litteralis .

Vlterius fortè dubitaret aliquis de eo , quod ad ditur : viuitur . Nam bona qualitas mentis , qua rectè viuitur , videtur competere gratiæ . Nam gratia est bona qualitas mentis , & per eam habemus rectum , & spirituale esse : cum secundum Philosophum , viuire , viuentibus sit esse . Dicendum , quòd viuire potest accipi dupliciter , siue in naturalibus , siue in gratuitis . Vel pro ipso esse , vel pro ipsis operibus vitæ . Ipsa ergo opera vitæ , & ipsius actus , per quos spiritualiter viuimus : sunt quædam opera uitæ , & possunt dici quoddam viuire . Viuere ergo est a gratia : prout viuere dicit ipsum spirituale esse : quia gratia est in essentia animæ , & dat ei spirituale esse . Iuxta illud Apostoli . Gratia Dei sum id , quod sum . Sed si viuere accipiat pro operibus vitæ : sic non sunt immediate a gratia , sed sunt immediate a virtutibus , quæ sunt in potentijis , quia ab essentia animæ nū quam immediate egreditur operatio , sed semper egreditur mediante potentia , & virtute perfficiente potentiam : ideo potest patere , quod queritur .

### Dubitatio VII. Litteralis .

Vlterius fortè dubitaret aliquis de eo , quod in prædicta diffinitione additur , quòd virtute ne mo male vititur . Sed contra : Aliqui superbiunt de virtute : Ergo male vituntur eis . Dicendum , quòd non solum August. sed etiam Philosophus circa

D

1. Cor. 15.

<sup>1. Rhet.</sup> circa principium Rheto. dat differentiam inter virtutes, & alia bona, quia alijs bonis possumus male vti, ut fortitudine corporis possumus bene, & malè vti, quia multa mala, & multa bona potest facere fortis, quæ non potest debili sanitate corporis. Et ingenio animi possumus bene, & malè vti: Vnde ait Philosophus, quod exceptis virtutibus, quibus non possumus male vti: alijs possumus bene, & malè vti. sed hoc intelligendum est per se, & formaliter, non utimur calore nisi ad calefaciendum: tamen per accidēs calor potest infrigidare: quia aperit poros, per quos subintrat frigus. propter quod balneati debent se tenere calidos: propter aperitionem porrū possunt magis lēdi a frigore. Illud ergo infrigidare formaliter erit a frigore, materialiter poterit esse a calido, quia aperit materiam, quā apertam leuius subintrat frigus. Sic a virtutibus formaliter semper sunt bona opera, ut superbire formaliter est a superbia: materialiter tamen virtutes possunt esse materia elationis. Nam cum quis in conspectu suo materialiter, & obiectivus considerat de virtutibus, ex quibus videt se excellentiorem alijs, potest esse, quod inde in superbiam surgat.

<sup>Virtutibus  
obiectivis,  
& materia-  
liter abuti-  
possumus,  
formaliter  
autem  
subin-  
tratur.</sup>

### Dubitatio VIII. Litteralis.

Vlterius fortè dubitaret aliquis de eo, quod vltimò additur in diffinitione virtutis: videlicet, quod Deus virtutem in nobis sine nobis operat.

Sed contra: Cum per virtutes iustificemur, & Deus non iustificet nos sine nobis, Iuxta illud: Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te, ergo &c. Dicendum, quod Deus non iustificat nos sine nobis consentientibus, sed bene iustificat nos sine nobis iustificationem causantibus, quia gratia iusticamur, non nostris meritis.

<sup>Justificat  
nos Deus si-  
ne nobis iu-  
stificātib⁹,  
non autem  
sue nobis  
consen-  
tentibus.</sup>

### Dubitatio IX. Litteralis.

Vlterius fortè dubitaret aliquis, quod videtur ibi esse inculcatio verborum, quia virtus est, qua recte vivitur, & qua nullus male vivitur. Nam ad recte vivendum requiritur, quod non male vivatur rebus. Dicendum, quod non omnia, per quae recte vivimus: sunt bona talia, quod eis non possumus male vti. Nam secundum Augu. vt patuit in Dist. 26. Tria sunt genera bonorum. Bona maxima; quibus bene utimur, & non possumus eis male vti, vt virtutes. Bona media, si ne quibus non possumus bene vivere: possumus tamen eis male vti, vt liberum arb. & potentiae animæ. Posuit ergo Augustinus in diffinitione virtutis illa duo, quod ea recte vivimus, & non male vivimus: ad differentiam liberi arb. & potentiarum animæ, quibus possumus male vti.

### Dubitatio X. Litteralis.

Vlterius fortè dubitaret aliquis, quomodo data est hæc diffinitio Augusti de virtute. Dicendum, quod valde condemnabilis est huiusmodi

A diffinitio, quia data est per omne genus cause. Vnde in 8. Meta. Tales diffinitiones commendantur. Nam primo ponuntur in dicta diffinitione, quæ pertinent ad causam formalem, quæ sunt essentialia virtuti: cum dicitur, quod virtus est bona qualitas. Secundò tangitur causa materialis: quia ponitur ibi subiectum, in quo est virtus tanquam in materia, cum additur: mentis. Tertio ponitur ibi causa finalis virtutis, cum subiungitur: qua recte vivitur, & qua nemo male vivitur. Nam ad hunc finem dantur nobis virtutes, ut faciamus bonum, & vitemus malum, recte vivamus, & vitemus malum visum rerum. Quartò, & vltimò tangitur ibi causa efficiens virtutis, cum subinfertur; quam Deus in nobis sine nobis operatur: propter quod ibi relucent omnia genera causalium.

<sup>tex. s. s.</sup>

### Dubitatio XI. Litteralis.

Vlterius fortè dubitaret aliquis de eo, quod dictum est, quod tangitur causa formalis virtutis: Cum dicitur, quod virtus est bona qualitas. sed constat, quod qualitas ponitur ibi, vt genus, & bona ponitur ibi, vt differentia. Cum ergo secundum Porphyrium, Genus in diffinitione se habeat, ut materia, & differentia, ut forma: Qua litas, q̄ se habet, ut Genus, non exprimit, quod est formale in virtute: sed, quod est materiale.

<sup>Cap. de Dis-  
t. 26 finē.</sup>

Dicendum, quod aliquid est tale simpliciter, aliquid est tale per respectū: simpliciter enim loquendo, vt vult Philosophus in Meta. Tām genus, quā differentia, cum sint partes diffinitionis, fe habent, vt forma: quia, vt ait ibidem: omnes partes positæ in diffinitione sunt formæ. Tamen quia differentia est quid formalius, quā genus: ideo genus respectu differentiæ dicitur habere rationem materialiæ. Simpliciter tamen loquendo tām genus, quā differentia dicuntur pertinere ad formam. Differentia tamen magis dicit formam partis, & genus magis formam totius. Genus enim non dicit partem realiter loquendo. Si autem dicit partem, hoc non est quantum ad rem significatam, sed quantum ad modum significandi, quia significat illud totum per modum potentiae respectu differentiæ, quæ significat ipsum actum. Etsi dicit totum, hoc est per implicationem, & ideo prædicatur denominatiū, vt animatum non significat nisi anima denominatiū: tamen implicat suppositum, quod habet animam. Genus ergo significat totum per modum partis, vt per modum potentiae. Differentia vero significat partem per modum partis, & per modum actus. Species vero significat totum per modum vtriusque.

<sup>Genus si-  
gnificat to-  
tum p̄ mo-  
dum partis:  
differentia si-  
gnificat si-  
gnificat  
per modū  
partis: sp̄s  
sign. totum  
per modū  
vtriusque.</sup>

### Dubitatio XII. Litteralis.

Vlterius fortè dubitaret aliquis: cum vnius rei vna sit diffinitio, sicut vnum esse; quomodo de virtute dentur multæ diffinitiones. Dicendum, quod diffinitio virtutis, quæ habetur in littera, data ab Augustino est multum completa. quia tangit

<sup>a. Eth. 6.</sup> tangit omne genus causæ. Possunt autem esse alias definitiones de virtute incomplete tangentes omnes causas: sicut est definitio Philosophi, data in 2. Ethic. quod virtus habentem perficit, & opus eius bonum reddit. Virtus enim habet tem perficit, tanquam subiectum, & materiam. Opus suum bonum reddit, tanquam finem. quia hoc est finis virtutis, facere bonum opus, vel si sunt duas definitiones completæ de eadem re, poterit esse ibi diuersitas, quantum ad modum, quia illa eadem principia, quæ exprimit una definitio per modum unum, poterit alia exprimere per modum aliud,

### Dubitatio XIII. Litteralis.

Vlterius fortè dubitaret aliquis de eo, quod in littera dicitur, gratiam præuenientem, & operantem esse virtutem. sed contrarium huiusmodi est, supra quod non est idem gratia quod virtus. Dicendum, quod loquitur hic Magister secundum opinionem suam. Videtur enim fuisse huiusmodi opinionis, quod idem sit gratia, quod virtus.

### Dubitatio XIV. Litteralis.

Vlterius fortè dubitaret aliquis de eo, quod in littera dicitur, quod appetit verè, quia charitas est Spiritus sanctus. Dicendum, quod etiam hic loquitur Magister secundum opinionem suā: Posuit enim Magister gratiam in anima: sed non posuit habitum charitatis, sed voluit, quod loco habitus charitatis esset Spiritus sanctus in anima eliciens charitatis actum. Sed si a gratia nō elicetur immediate opus: melius est, quod ponatur in essentia, a qua non elicetur immediate actus, & quod de gratia primum esse spirituale, sicut dat essentia animæ primum esse naturale. Nec est rationale, quod habitus charitatis nō sit in potentia animæ: cum Spiritus sanctus non posset formaliter perficere potentiam animæ. Dei enim perfecta sunt opera: Perfecta est ergo essentia animæ formaliter per gratiam, & perfecta est potentia animæ, quæ est voluntas, quæ mouet omnes alias potentias animæ formaliter per charitatem, & a gratia principaliter, mediane charitate, elicetur opus meritorium. Et ni-

hilominus est ibi Spiritus sanctus, sine cuius latenti operatione opus meritorium

extinctum esset: sicut extincta est operatio naturæ, si Deus ab ea suam latenter operatio nē subtraheret.

Et quia gratia, ut dictum est, perficit essentiam animæ: Virtus autem potentiam, non est idem essentialiter unum, quod aliud,

De insufficientia liberi arbitrij hominis lapsi, gratia circumscripta.



D VERO IN concusse &c.] Postquam Magister determinauit de duplice auxilio dato nobis: videlicet de gratia, & virtute, per quæ auxiliamur, ut proficiamus, & ut non deficiamus; In parte ista determinat de insufficientia liberi arbitrii, quia propter insufficientiam eius datum est nobis auxilium gratiæ, & virtutis. Circa quod duo facit, quia primo determinat de insufficientia liberi arbitrij generaliter, secundum quod innenitur in nobis habentibus naturam corruptam. Secundò determinat de huiusmodi insufficientia specialiter, prout habebat esse in quodam habente naturam integrum: ibi: [Post hoc considerandum.] In principio 29. Dist. Circa primum tria facit. quia primo determinat de insufficientia liberi arbitrii, quod non potest sine gratia consequi salutem, nec facere iustitiam, quæ est facere bonum, & declinare a malo: cuius contrarium dixit Pelagius. Secundò determinat de errore Pelagi. Tertiò determinat de errore Iouiniani, & Manichei. Secunda ibi: [Pelagianorum.] Tertia ibi: [Id ergo de uratia.] Dicit ergo, quod inconcuse, & inconcertanter tenendum est, quod sine gratia non potest liberum arbitrium sufficere ad iustitiam faciendam, nec ad gratiam obtinendam: sicut posuit Pelagius Hereticus. Deinde cum dicit: [Pelagianorum.] determinat de errore Pelagi, & sequacium: & duo facit, quia primo ponit sex, in quibus errabat Pelagius. Secundò adducit multa dicta Augusti, per quem Pelagius errorum suum defendebat, ibi: [Qui verò dicunt.] Fuerunt enim, ut narratur in litera, sex errores Pelagi. Unus fuit, quod nullo modo indigebamus gratia ad implenda omnia iusta diuina. Secundus error fuit, quia cum esset Monachus increpatus de hoc a Commonachis suis aliquantulum moderauit errorem. Nil hilominus error erat, quod dicebat, videlicet si indigebamus gratia, non erat hoc simpliciter: sed ad faciliter implenda mandata, & quod tota huiusmodi gratia erat ex libero arbitrio quantum ad posse. quia quicquid poteramus per gratiam: poteramus cum libero arbitrio sine gratia: licet forte magis difficulter. Tertius fuit, quod non indigebamus charitate: indigebamus autem scientia ad cognoscendum malum. Quartus error fuit, quod supervacuae erant orationes Ecclesiæ, & fidelium. Quintus fuit, quod poteramus mercari gratiam per liberum arbitrio. Sextus fuit, quod parvuli

paruuli non nascebantur in peccato originali. A Littera autem patet quantum ad omnia ista.

Deinde cum dicit: [Qui uero dicunt.] Ostendit, quo Pelagius defendebat errores suos per dicta ipsius August. Et sex facit, secundum quod sex dicta August. adducebat ad sui defensionem. Et soluit omnia illa dicta per eundem August. Secunda ibi: [similiter etiam.] Tertia ibi: [Alibi etiam.] Quarta ibi: [Hac etiam.] Quinta ibi: [In expositione quoque.] Sexta ibi: [Iudicet etiam diligenter.] Tunc sequitur illa pars: [Id ergo de gratia.] In qua narrat errorem Manichæi ponens hominem non posse vitare peccatum: & Iouiniani dicentis hominem non posse peccare. Et destruit hos errores per auctoritatem Hiero. dicens, quod cum simus liberi arbitrii, possumus peccare, & vitare peccatum: Licet peccare possumus per nos: vitare autem generaliter peccata non possumus sine diuino auxilio, & in hoc terminatur sententia Lectionis, & Distinctionis.

## Q V A E S T. I.

## De hominis profectu.



VIA Magister in littera de duobus agit principaliter de nostro profectu, & de nostro defectu; quia liberum arbitrii, sic est insufficiens, & invalidum, quod sine gratia non potest proficere, nec potest non deficere: ideo de his duobus principaliter queremus. Circa primum queremus quatuor: Primo: Vtrum homo sine gratia possit proficere in verum, vel possit aliquod verum cognoscere. Secundo: Vtrum sine gratia, vel sine diuino auxilio possit aliquod bonum facere, vel velle. Tertio: Vtrum sine gratia possit se sufficienter preparare ad gratiam. Quartu: Vtrum sine gratia possimus implere omnia diuina mandata.

## ARTIC. I.

## An homo sine gratia possit aliquod verum cognoscere.

Conclusio est affirmativa.

D.Th.1.2.q.109.art.1. Et 2.sent.d.28.art.5. Dur.d.28.  
q.1.Henr.1.p.q.2.



D PRIMVM sic proceditur: videtur, quod sine gratia non possit homo aliquod verum cognoscere. Nam super illo verbo 1.ad Corinth. Nemo potest dicere: Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. vult Ambro. quod verum a quocunque dicatur, a Spiritu sancto est: sed haben-

1.Cor.12.

Veritas à  
Spiritū san-  
cto tempe-  
rit.

do Spiritum sanctum, habemus gratiam. Ergo nullam veritatem possumus enunciare, & per consequens nec intelligere sine Spiritu sancto: & si ne gratia.

Præterea ea, quæ intellexerūt Philosophi, intellexerūt per reuelationē quia Apostolus 1.ad Ro. Loquens de scientia Gentilium, siue de scientia Philosophorum ait: Quod notum est Dei, manifestum est in illis, id est in Philosophis, siue in Gentibus. Et subdit: Deus enim his reuelauit: si ergo scientia Gentilium fuit per reuelationem: nullum verum possumus cognoscere sine reuelatione, & per consequens sine gratia saltem gratis data.

Præterea sicut sine luce corporali non possumus videre sensibilia: ita sine luce intellectuali non possumus cognoscere intelligibilia. Ideo dicunt Ioan.2.de filio cui appropriatur lux, quod est lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Sine luce ergo spirituali, & sine gratia non possumus aliquid intelligere, nec aliquid verum cognoscere.

Præterea sicut quicquid est calidum per naturam ignis, in quo referuatur ratio primi calidi, ita quicquid est illuminatum, est tale per naturā primi luminis, qui est Deus, sed sine illuminatione non possumus aliquid verum cognoscere. ergo &c.

IN CONTRARIUM est, quia magis perficitur intellectus in intelligendo, quam sensus in sentiendo. sed possumus sentire sine gratia: ergo multò magis intelligere.

Præterea cui datur virtus, & potentia a natura: oportet, quod actio illius virtutis, & potentiae detur illi a natura, quia calor est virtus, & potentia ignis, per quam calefacit datus est ignis a natura: ergo & calefacere datum est sibi a natura. Si ergo intellectus datus est nobis a natura: ergo & intelligere datum est nobis a natura. Si ergo falsum non scitur, & non intelligitur, quia non est, vt potest haberi ex primo Posteriorum: propriè loquendo, non intelligitur nisi verum. Si ergo intelligere habemus a natura, & verum cognoscere habemus a natura.

Falsum nō  
scitur.t.s.

## R E S O L V T I O.

Vera cognoscere possumus naturaliter, & a Deo:

D A Deo principaliter: A natura instrumen-  
taliter. Hinc gratiam explodendam esse  
non censemus, si modus habende  
notitia consideretur.

R E S P O N D E O dicendum. quod, vt supra tetigimus: \* anima est creata in Orizonte æternitatis, vt posuerunt Philosophi: Est enim media inter substantias separatas, quæ sunt æternæ, & ista sensibilia: ideo utroque modo, est apta, naturaliter perfici per sensibilia, & per substantias separatas. Tunc ergo Deus primum locum in genere substantiarum separatarum, & \* intellectus noster tenet infimum. Sic enim se habet intellectus noster ad intelligibilia, sicut se habet materia ad

Anima in  
Orizonte æ-  
ternitatis:  
diuum se-  
pe a Doc-  
to re. Vide d.  
16,q 2.art.1,  
& d. 32. q.  
2.art.3.  
\* Auct. 3. d.  
animæ qd.  
15.1.